DE VINCULO SUBSTANTIALI

ET

DE SUBSTANTIA COMPOSITA

APUD LEIBNITIUM

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

MAURITIUS BLONDEL

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS

AGGREGATUS PHILOSOPHIAE

LUTETIAE PARISIORUM

EDEBAT FELIX ALCAN

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCC XCIII

DE VINCULO SUBSTANTIALI

ET

DE SUBSTANTIA COMPOSITA

APUD LEIBNITIUM

Columbariis. — Ex typis PAULI BRODARD.

DE VINCULO SUBSTANTIALI

ET

DE SUBSTANTIA COMPOSITA

APUD LEIBNITIUM

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

MAURITIUS BLONDEL

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS
AGGREGATUS PHILOSOPHIAE

LUTETIAE PARISIORUM

EDEBAT FELIX ALCAN

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCC XCIII

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO

ÉMILE BOUTROUX

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI PROFESSORI

Parvulum hoc gratissimi animi pignus

DISCIPULUS

D. D. D.

DE VINCULO SUBSTANTIALI

ET

DE SUBSTANTIA COMPOSITA

APUD LEIBNITIUM

PROOEMIUM

Nullam fere sententiam Leibnitius suam proposuit quin eamdem postea exotericam quodammodo declararet. Doctrinam scilicet de Harmonia Praestabilita et de Monadibus cui patrio solet indulgere animo[1], immo Theodicaeam ipsam[2] fateri visus est merum fuisse « lusum ingenii »; nec quisquam (jure quidem) verbis istis nisi

1. « Vous trouverés quelqu'une de mes bagatelles dans le paquet,... une manière de petit dialogue sur quelques sentiments du R. P. Malebranche. Mais on peut dire que ce sont des Discours Exotériques, et nullement Acroamatiques.... Ce n'est pas grand chose. » (Gerhardt *, III, 645-648. A. 1715.) Atqui ibidem de substantiae notione et de vi corporibus insita more assueto disseritur. — Cf. alias : « Dans les journaux de Leipzig, je m'accommode asses au langage de l'École; dans les autres (ceux de Paris et de Hollande), je m'accommode davantage au style des Cartésiens; et dans cette dernière pièce (la *Monadologie*), je tâche de m'exprimer d'une manière qui puisse être entendue de ceux qui ne sont pas encore trop accoutumés au style des uns et des autres » (1714, III, 624).

2. Cf. Appendicem A. — Huic loco opponi potest alia epistulae particula : « Il est vray que ma Theodicée ne suffit pas pour donner un corps entier de mon système; mais en y joignant ce que j'ay mis en divers journaux, il n'en manquera pas beaucoup, au moins quant aux principes » (III, 618).

* Allatae Leibnitii vel Bossaei sententiae, quotiescumque nulla fiet editionis mentio, excerpentur ex C. J. Gerhardt, *Die Philosophischen Schriften von G. W. Leibniz*. Berlin, I, 1875. — VII, 1890. — Anni, quotiescumque e re erit, mentio fiet.

inscite assentietur. Unum vero dogma nulli objecit suspicioni [1], vocavitque suum (II, 507, 511); quod altiori etiam indagatione dignum esse dictitavit (II, 355, 458). Et solum tamen illud omnes ferme parvi fecere, vel pro omnino neglegenda appendice et quasi haud seria nec sincera fictione habuerunt. Quaecumque, in epistulis ad P. Bossaeum S. J. scriptis, de substantiis compositis, de unione metaphysica et de vinculo substantiali exposuit, a plerisque omissa sunt; quippe quae et contradictione interna laborent [2] et cum ceteris etiam systematis partibus haud conveniant.

Convenire vero hoc dogma ipsi sibi et toti Leibnitianae doctrinae, systematisque ulteriorem indicare processum contendere liceat. Propositam enim solutionem allatae quaestioni mire congruere; quaestionem vero ipsam, si non inevitabilem et necessariam, magni saltem esse momenti novaque disquisitione perdignam ipse existimavit.

Hanc opinionem, a communi interpretum judicio remotam, defensuro praejudicanda occurrit quaestio, num in Leibnitianis sententiis alia simpliciter intellegenda sint, alia per translationem et « secundum quid »; (quod quidem de missis ad Bossaeum epistulis maxime suspicari licuit). — Jam remotis omnibus externis haerendi causis, quaerendum apparebit utrum litigiosa ista de vinculis realibus disceptatio ficta alienaque seu gradus esse inferioris videatur, an ceteras philosophi nostri sententias, continuo tanquam incremento promotas, naturali quodam processu perficiat. — Tunc, intrinseca altioris dijudicationis ratione perpensa, scrutandum erit (quod Leibnitius « investigatione esse dignum » monuit), « quidnam excogitari possit quod sit aptum ad realitatem phaenomenis extra percipientia conciliandam, seu quid constituat substantiam compositam » (II, 485). — Jam explicatione habita quae sit natura et origo, quae sint substantialis illius Vinculi vices, definiendi locus erit quid inventae solutioni crediderit Leibnitius, et quae significaturus verbo singulari adhibito, hypothesim istam de Vinculis *suam* assumpserit. — Postremo, propria illius considerata de substantiis compositis opinione, nobis recentioribus

1. Nec tamen illud omnino verum. Sed ita rem se habere plerique existimant, cum plerosque effugiat Pfaffii testimonium : qui quidem propria et « formalia » Leibnitii verba haud refert. Cf. Appendicem B.

2. « Cette théorie se détruit donc elle-même; et nous sommes obligés d'en revenir à la première : il n'y a d'objectif que les monades. L'unité de l'être organique est une unité idéale », p. 54 (*Ch. Secrétan,* la Philosophie de Leibniz).

exquirendum supererit quanti faciendae sint et quaestio et solutio propositae, atque quatenus novum quoddam philosophandi genus praesignificent et quasi augurentur.

Sed primo argumenti fontes, praecipuaque interpretum judicia breviter sunt indicanda.

DE VINCULORUM DOCTRINAE FONTIBUS

Epistulas LXXV, quas a Leibnitio acceperat, P. Bossaeus servandas curavit [1]. Quarum plerasque [2] primus edidit *Dutens* (II, p. 265-323; VI, p. 173-201). LXX enim, non sine mendis, prolatae sunt : denuo earumdem praecipuas *Erdmann* in vulgus emisit (1840). Postremo C. J. Gerhardt, in editione generali philosophicorum Leibnitii operum eas recensuit; plurimarum nempe, Hannoverae in Bibliotheca regia, manuscripta servantur. Unam nondum editam (epistulam sextam sexagesimam) dedit; denique LVII litteras a Bossaeo ad Leibnitium missas in vulgus primum protulit, unamque aliam addidit (VII, 581). — Appendix C, inedita quaedam continet.

C. J. Gerhardt, Die philosophischen Schriften von Gottfried Wilhelm Leibniz, t. II, p. 285-522; 1879. T. VII, p. 581.

Acta Eruditorum (peculiariter : A. 1715 cal. Augusti, p. 376; et mense Martii, A. 1728, p. 125).

Cf. Appendices A, B et C.

1. Haec enim, quum Coloniae Agrippinae moraretur, ad Jesuitam quemdam Bossaeus scribit, nondum acceptis quae Lipsiae editae fuerant Leibnitii epistulis : « Il s'en faut bien que le commerce épistolaire de ce grand homme y soit tout renfermé; une grande partie se trouvera en son temps dans les archives de Hanovre et ailleurs. Les originaux des lettres qu'il m'a écrites, que je destine pour la Bibliothèque des manuscrits de votre collège, doivent être envoyés par une commodité sûre, car il ne faut pas risquer un tel trésor dont le prix croîtra avec le temps. » Bossaeus P. Turnemino LXXI litterarum exempla miserat. (De Backer, VII, p. 128-129.)

2. « Sunt ex numero earum septuaginta quinque quas Cl. Gobeto placuit mecum communicare. E bibliotheca Collegii Claromontani Parisiis depromptae sunt. » (Dutens, II, 265.) — Cf. VI, 173. — Quarum pleraque manuscripta in Bibliotheca regia Hannoverae servantur : autographa Leibnitii aut exempla recognovit Gerhardt.

Quod scripta vitamque et mores P. Bartholomaei Bossaei (Des Bosses) attinet :

Cf. *J. Hartzheim*, Bibliotheca Coloniensis, p. 27 (1747).

De Backer, Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus. Série I-VII. Liège, 1853-61, t. I, p. 115; VII, p. 128-129.

Allgemeine Deutsche Biographie, t. III, p. 191. 1876 (Ruland).

D. L. Noack. Philosophisch-geschichtliches Lexicon. Leipzig. 1879.

Natus erat Des Bosses anno 1663, in Hollandiae vico cui nomen « *Herve* » [1]. Societati Jesu adscriptus fuerat anno 1686 : liberalesque artes, mathematica, philosophiam atque Theologiam moralem et speculativam docuit. Coloniae Agrippinae « Doctor Sacrae Theologiae » promotus est. Hildesii [2] usque ad annum 1709 Theologiae in Collegio Jesuitarum professor fuit. Deinde Mathematica Coloniae (1709-1711), tum rursus Theologiam Paderbornae (1711-1713), et denuo Coloniae docuit. « Sacrae Theologiae doctor et professor ordinarius in Academia Coloniensi et examinator synodalis » (Hartzheim, p. 27), Coloniae, anno 1738, obiit.

Tria haec praecipue meditari solebat : mali originem in bono quin et optimo mundo, mutuum divinae gratiae libertatisque humanae adjumentum, optandamque Peripateticae et Scholasticae Disciplinae renovationem : quibus valde Leibnitium probabat et a Leibnitio approbabatur ipse. Inter illum et Wolfium quoque epistularum commercia fuere. Seriem opusculorum illius reperies apud *De Backer* (*loc. cit.*). A Leibnitio correcta et adaucta fuit Theodicaeae versio : « Leibnitii Tentamina Theodicaeae de bonitate Dei, libertate hominis et origine mali latine versa et notationibus illustrata » (1719).

1. « Hildesio recta Limburgum patriam meam petii negotiorum causa. » II, 393.

2. In bibliotheca Gymnasii Josephini, manuscriptae servantur *Litterae annuae*, quibus titulus inscribitur « Historiae collegii Soc. Jesu Hildesii ». Et in « Catalogo personarum et officiorum » (A. 1705-1707), inter 15 patres et 6 magistros quarto loco memoratur « P. B. Des Bosses, professor Theologiae polemicae, praefectus Bibliothecae, exhortator et confessarius virginum Annunciatarum ».

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

PRAECIPUA INTERPRETUM OPERA

THOMSEN. Systematis Leibnitiani in Philosophia maxime expositio quaedam, ratione imprimis habita quaestionis num alia esoterica, alia exoterica habuerit vir ille dogmata. (Dissertatio philosophica, *Kilovi*) Schlesvii, 1832 (p. 57 sq.).

HERBART. Allgemeine Metaphysik (I, p. 77).

G. E. GURHAUER. Leibnitz's Dissertatio de principio individui. Berlin, 1837, p. 46.

KARL MORIZ KAHLE. Leibnizen's vinculum substantiale. Berlin, 1839.

CHARLES SECRÉTAN. La philosophie de Leibniz, fragments d'un cours d'histoire de la métaphysique donné dans l'Académie de Lausanne. Genève, Tübingen, Paris et Lausanne, 1840.

LUDWIG FEUERBACH. Darstellung, Entwicklung und Kritik des Leibnit'schen Philosophie. Ansbach, 1837 et 1844, p. 231.

G. HARTENSTEIN. Commentatio de materia apud Leibnitium notione et ad monades relatione. Lipsiae, 1846, p. 4, 25, 26, 27.

ALBERT LEMOINE. Quid sit materia apud Leibnitium? Paris, 1850.

ROBERT ZIMMERMANN. Ueber Leibnitzens Conceptualismus. Wien, 1854, p. 41, 42. — Leibnitz und Herbart, p. 87.

HEINRICH RITTER. Geschichte der Christlichen Philosophie, 1853, VIII, p. 131-132.

KUNO FISCHER. Geschichte des neueren Philosophie, 2e Auflage. Heidelberg, 1867, II, p. 388 et seq.

JOH. EDUARD ERDMANN. Leibniz und die Entwicklung des Idealismus vor Kant, 2e Auflage. Berlin, 1870, p. 153.

FR. UEBERWEG. Grundriss der Geschichte der Philosophie, 3e Aufl., 1872, p. 125.

EDUARD ZELLER. Geschichte der deutschen Philosophie seit Leibniz, 1873, p. 120.

Otto Caspari. Leibniz. Das Princip der Monade und das Problem der Wechselwirkung. Heidelberg, 1869. — Leibniz'Philosophie beleuchtet vom Gesichtspunkt der physikalischen Grundbegriffe von Kraft und Stoff. Leipzig, 1870, p. 140-144.

G. Class. Die metaphysischen Voraussetzungen des Leibnitzischen Determinismus. Tübingen, 1874.

Eduard Dillmann. Eine neue Darstellung der Leibnizischen Monadenlehre, auf Grund der Quellen. Leipzig, 1891. (Cf. p. 24, 25, 247 et *passim.*)

Alia opera, quae ad generalem Leibnitii philosophiam spectant, lata occasione, indicabuntur.

CAPUT PRIMUM

QUAE SIT LEIBNITIANIS ENUNTIATIONIBUS ADHIBENDAE FIDEI RATIO, MAXIME IN ILLIS DE VINCULO SUBSTANTIALI EPISTULIS AD P. BOSSAEUM SCRIPTIS

Quamvis provecta jam aetate et usque ad ultimum prope vitae mensem Leibnitius cum P. Bossoae sententias assidue communicaverit, *25 Januarii 1706 — 29 Maji 1716* (nec ullae epistolae ad quemlibet alium scriptae aut numero aut pondere colloquiis illis praestant), interpretes plerique, alii propter aliam causam, pluris quidem facientes ceteras litterarum harum partes [1], de Vinculorum doctrinae pretio detrahere quasi certaverunt, nunquam ferme secundum simplicem verborum sensum propria philosophi nostri testimonia explanare conati.

Quo jure dissimulationem quamdam, incolumi saltem viri illius veritate [2], conjectare valuerunt? aut quo pacto suspicionem insinuatam amovere licebit? Dubitatio ista latius patet : ipse enim nos monet esse « inter philosophandi modos discrimen ingens, alius nempe Acroamaticus, alius est Exotericus » (IV, 146). Jam igitur summatim dijudicandum quo consilio saepius sententias suas noster lectoribus aptaverit, quo etiam signo doctrina interior reveletur, quave ratione scripta scriptis, prioribus posteriora, et

1. « Eae miram Leibnitianae Metaphysicae universae lucem afferunt. » (Dutens, II, 265.)
2. Rigidissimus omnium censor *A. Lemoine* Vinculorum doctrinam existimat fuisse « nihil aliud nisi dignum Sophista effugium », p. 15.

exotericis esoterica opponi queant. Tum inventam, si qua sit, externam aut intrinsecam statuendi rationem Bossaeanis epistulis adhibere erit.

I

I. — Eo semper Leibnitius fuit animo « ut mallet recepta emendari quam everti » (II, 294). De rebus [1], de opinionibus [2], de personis quam optime existimare constituerat [3]. Nec quidquam infructuosum lubenter esse sinit, aut quemlibet quin ipse se probet dimittit, nihil seu neminem spernere solitus [4]. Et hoc quidem plurimas propter causas.

— Natura primum ad benevolentiam erga omnes [5] et ad moderationem erga opiniones vel alienissimas, haud sine periculo offensionis [6], pronus erat; quippe qui, mira quadam ingenii subtilitate et indulgentia, aliorum sententias ut suas indueret, quo melius intelligeret incompletas perfecturus.

1. « Il ne faut pas être facilement du nombre des mécontents. » VI, 110.

2. « In luto aurum latere dictitavi. » II, 344; III, 625; VI, 53. « Je ne voudrais pas qu'on perde la bonne graine avec la paille. » III, 384, 649. « C'est une expression qu'on peut excuser et même louer pourvu qu'on la prenne bien. » III, 660. « J'ay trouvé que la pluspart des sectes ont raison dans une bonne partie de ce qu'elles avancent, mais non pas tant en ce qu'elles nient. » III, 607, 624. Cf. VI, 126. « Puto conjungi debere utramque philosophiam et ubi desinit vetus incipere novam. » I, 199. « J'ai tâché de déterrer et de réunir la vérité ensevelie et dissipée sous les opinions des différentes sectes des philosophes, et je crois y avoir adjouté quelque chose du mien pour faire quelques pas en avant. » III, 606. Cf. VI, 19.

3. « Je présume toujours le meilleur. » III, 67. « J'aime tousjours mieux me tromper à l'avantage qu'au désavantage des personnes... » III, 649; IV, 444; VI, 552. — Cf. *Elogium* G. G. Leibnitii. Acta Eruditorum. M. Julii. A. 1717, p. 336. « De nemine unquam male locutus, quin potius omnia in meliorem partem interpretatus est. »

4. « J'ay cette Maxime générale de mépriser bien peu de choses et de profiter de ce qu'il y a de bon partout. » III, 384, 562. « Je ne mesprise rien, pas même les découvertes de grammaire. » II, 539.

5. A sententiis personam, a consequentiis doctrinam quantum potest distinguit atque absolvit. « J'espérais que ma réponse, si elle ne satisfaisait pas à M. Régis, l'empescherait toujours de m'imputer que j'attaquais la religion de M. Descartes, puisque j'ai dit que je ne lui impute pas les mauvaises conséquences qu'on peut tirer de sa doctrime. » (Fragmentum epistulae ineditae Leibnitii ad *Nicaise*, 20 febr. 1698; quod Canonicus ille Divionensis cum Huetio communicat. — Firenze, Bibl. Mediceo-Laurentiana. — Ms. F. Ashburnam, 1866, vecch. port. 13. — A *L.-G. Pélissier* in Facultate litterarum Montipessulanensi professore, repertum.)

6. « Il m'arrive icy ce qui arrive ordinairement aux modérés... » IV, 286.

—Adde huc quod perspiciendae rerum naturae cupidus et reconditae cujusque veritatis studiosissimus indagator, nullam aliquid addiscendi occasionem omittere voluit. Nec alius fortasse unquam philosophus tanta eruditione [1] tantam confirmavit vim inveniendi, ut qui acrius quam res repertas ipsum reperiendi modum prosequeretur [2].

— Ipsa quoque amplissimae philosophiae disciplina insitam illam quaelibet capiendi et diversissima quaeque sibi usurpandi facultatem et expressit et auxit : Deum imitatur [3], rerum universum ordinem effingit, quid multa? « philosophum agit » [4], qui quam plurima, quam pulcherrima, quam optima mente conciliat vique ingenii nectit.

— Quod sua eum indoles, quod suadebat cognoscendi studium systematisque philosophici ratio, hoc et commonuit tranquillitatis amor, cautaque prudentia [5] ad pacem cum omnibus tuendam et ad fautores quam plurimos ipsi doctrinae conciliandos. Cuivis lectoris animo res verbaque aptare callebat, ne captum superaret, ne communes offenderet opiniones, ne gratis inimicitias excitaret, ne, cum superior revera esset, inferior saepius videretur; quippe qui nimia luce homines importuna tanquam obscuritate affici solere sentiret (II, 195). Famae bonae studiosus, nullo quidem simplicitatis detrimento, sed divulgandae et insinuandae veritatis gratia, et « omnia paene omnibus factus » proprias sententias ita semper exposuit, pro temporis et loci et personarum acceptione, ut quam facillime aut acciperentur aut tolerarentur.

Summa igitur prudentia et ars certissima in candore quodam et moderatione et abstinentia consistit; « nollem unquam commodis praesentibus affectibusque doctrinas in posterum paenitendas dari » (II, 327). Attamen hominum judicia censurasque consulit

1. Cf. I, 76, quam multa legendo perspexissset. « Souvent l'application et l'information est aussi nécessaire que le génie. » III, 196.

2. « Il est bon d'étudier les découvertes d'autruy d'une manière qui nous découvre la source des inventions. » III, 568.

3. « Rien ne couste à Dieu bien moins qu'à un philosophe qui fait des hypothèses pour la fabrique de son monde imaginaire. » IV, 431. « Sapientia ludens in orbe terrarum... » Cf. Erdmann, p. 109 : « Mira quaedam theoremata se offerebant quae alios fugerant et aditum videbam dari ad plura et majora, et machinamenta quaedam *ludentis animi* sub manu nata etiam fructum promittere videbantur. »

4. Cf. App. A.

5. « Vous sçavés qu'un homme qui est où je suis et comme je suis, a bien des mesures à garder. » III, 84.

ne quid odii gratis incurrat : « Ego libenter has censuras vel vestras vel aliorum cognosco neque contemno : pertinet enim ea res ad formulas caute loquendi, et offensiones non necessariae merito vitantur » (II, 313). Cur enim verbis iracundis proponerentur opiniones, cum soleat ira verbis magis quam opinionibus concitari?

Nec loquendi tantum, sed et cogitandi ratione cunctis sese accommodare valet[1]. Solos, quibus imbecillitate quadam mentis homines offendere solent, fines rerum opinionumque angustias[2] et argutias[3] vehementer odit et arcet; quippe qui, infinito semper et ubique comperto, subtilitatem inesse naturae sentiat immensam (V, 49). Haud itaque decretorium verbum vel supremam suam sententiam se tradere facile fatetur; et perpetuae viventium novitatis conscius, animos lubenter ad id inducit ut tantummodo specimina quaedam ipse ostendat[4], quae altius suum philosophandi genus significent et quasi adumbrent.

Inde etiam, doctissimus in disputando[5], eruditorum concertatione gaudet, disputationesque lubentissime ingreditur[6], dummodo comiter inita non desinat controversia in litem[7] : « objectiones

1. « Mon attention, quand je suis avec quelqu'un, est de deviner ses idées, et par excès de déférence de les lui servir anticipées. Cela se rattache à la supposition que très peu d'hommes sont assez détachés de leurs propres idées pour qu'on ne les blesse pas en leur disant autre chose que ce qu'ils pensent. Je ne m'exprime librement qu'avec les gens que je sais dégagés de toute opinion et placés au point de vue d'une bienveillante ironie universelle... Je mentais assez souvent non par intérêt, mais par bonté, par dédain, par la fausse idée qui me porte toujours à présenter les choses à chacun comme il peut les comprendre. » (*Renan*, Souvenirs, p. 152, 367.) Utrinque eadem agendi dicendique ratio, at diversissima rationis causa. Hinc omnia falsa aut saltem vana; illinc omnia vera et utilia existimantur. — « Cette bienveillance universelle a beaucoup nui à la popularisation des idées de Leibniz, quoiqu'elle eût pour but de l'aider. » (*Renouvier*, Manuel de philosophie moderne, p. 280.) Tali vero severitate, credo equidem, ignoratur praestantissima illius doctrinae vis et species.

2. « Valde noxium est constringi in dies sentiendi libertatem non necessariis definitionibus. » II, 337.

3. « Doleo ob controversiam non maximi ut mihi quidem videtur momenti. Damnatas propositiones nasi cerei similes puto, cum nemo nesciat quam varie possibilitatis necessitatisque nomina accipiantur. » II, 328, 329.

4. « Ce n'est pas grand'chose; des bagatelles... » III, 645, 648.

5. Disputationum leges ipse proponit. IV, 295, 566, 567; III, 462. Cf. VI, 571-73.

6. « Je me plais extrêmement aux objections des personnes habiles et modérées, car je sens que cela me donne des nouvelles forces comme dans la fable d'Antée terrassé... » (Des Maizeaux, Recueil de diverses pièces, II, 415.) Cf. VI, 66.

7. « Discussio non spernenda erit, modo abstineatur utrinque odiosis quae non aedificant, sed destruunt. » II, 327.

amat plausibiles » (II, 310), haud quidem quia res novas, sed quia novam rerum faciem ipsi ostendebant alienae sententiae. Aliis enim oculis alii situs aliaeque ejusdem rei imagines; « sublataque speciosa difficultate nova lux affulget ». Omnia sane quae objiciebantur secum animo peregisse solebat, sed certior factus opinionum vel diversissimarum expertusque mentis cujusque aditum auctis viribus sententias peculiares clarius et audacius divulgare valebat. Cuique, prout cuique placet et patet res, rem offert; prospectumque mutat, vitata semper irrisione [1] temperatisque affectibus [2].

Eos sane summopere cavet, qui, sectae [3] cujuslibet praejudiciis praeoccupati, *idola theatri* colunt, « Cartesii psittacos » aut cujusvis alius (IV, 332), qui servili velut animo dictis et scriptis adhaerent, et multiformem veritatis speciem vivique libertatem ingenii tanquam suffocant. Quos tamen ut persuaderet nunquam operae perpecit, ab ipsis eorum praejudiciis proficisci solitus.

Eumdem in theologicis etiam controversiis animum gessit. Juvenili primum indignatione [4] detestanda Spinozae et atheistarum « monstra » arguerat [5], semperque fervore sed pacato Dei christianaeque relligionis causam [6] egit; ita ut ad extremum magis forsan intolerantiam [7] quam ipsa intoleranda odio habuerit. Intolerantibus autem viris ne offenderet curavit [8]; et cum sententiam totam nec proferre nec reticere poterat, verba quidem dare theologorumque declinare tela plerumque valuit. Quibus etiam interdum renidenti ore et comi quadam εἰρωνείᾳ satisfacere solebat, hamo nimiae credulitati oblato. A Ch. M. Pfaffio rogatus « ut Baylii tam

1. « Porro quae ad irrisionem faciunt, pejora dictis injuriosis censeo; nam magis mordent et minus facile depelluntur. » II, 337.
2. « Utinam praeclari homines et in vestro ordine et alibi passim vel ponerent vel coercerent hos affectus, quibus non raro boni viri gravantur. » II, 328.
3. Cf. IV, 295, 305, 332, 337, 345, 524, etc.
4. Cf. I, 26, 34, 76, 85, 124, etc. « Quaedam paullo zelosius dixi. » Denuntiat « libellum intolerabiliter licentiosum de libertate philosophandi ».
5. Quae vicissim, quae clam aut palam de Spinozae philosophia existimaverit, vide : L. Stein, *Leibniz und Spinoza*. Berlin, 1890.
6. « Non largior Baylio aut alteri cuiquam posse rationem fidei argumenta insolubilia opponere. » II, 310.
7. Quo factum est ut intolerantibus incredulus visus fuerit. Cf. Appendicem A.
8. « Persecutiones ob sententias, quae crimina non docent, pessimas censeo, a quibus non tantum abstinendum sit probis, sed et abhorrendum. » II, 337.

periculosa sententia serio solide et graviter refutaretur », indignationem decepti viri effugit gratulatione impertita, aversumque animum flexit, concesso majore quam quod commiserat peccato : Pfaffius enim, ut ipse refert, questus fuerat Leibnitium potius conscium Baylii exstitisse quam adversarium. « Quid quaeso ad haec respondit Leibnitius quem credideram mihi ob ingenuam responsionem indignaturum? « Ita prorsus est, vir summe reverende, uti scribis, de Theodicaea mea. Rem acu tetigisti. Et miror neminem hactenus fuisse, qui lusum hunc meum senserit. Neque enim philosophorum est rem serio semper agere, qui, in fingendis hypothesibus, uti bene mones, ingenii sui vires experiuntur. Tu qui Theologus es, in refutandis erroribus Theologum ages. »

Nullum igitur extrinsecum signum, nulla in verbis posita dijudicandi ratio, nullum patet verae Leibnitianae doctrinae indicium : nam et sententias, quas ex omnibus maxime probat, detrectare nonnunquam, et quae minus placent pluris facere, et ipsam philosophiam vix seriam existimare Leibnitium, ipso teste, constat : tantaque illius ad omnia capienda, ornanda, probanda naturalis ingenii dexteritas ut vix jam interna veritatis nota nobis ab eo exspectanda videatur.

II. — Valde tamen erraret qui, solertiae viri diffisus, illum haberet excellentem quasi ludium [1] quem veritatis incuriosum solae delectarent agilis ingenii exercitationes et curricula mentis. Nam, vero veri amore instinctus, et publicae utilitati [2] consulit, et Dei gloriam [3] curat, et propriae famae, sine prava opinionum pertinacia [4] nec immodicus sui aestimator, nudam rationem anteponit. Quemlibet ferme comprobare videtur, haud quia quaelibet promiscue neglegi aut laudari possunt, sed cum nulla sit omnino spernenda cujusvis humanae mentis operatio, cum nullus exstet error cui non insit residuum veritatis semen.

Itaque acroamatica et exoterica non assertionum natura, sed

1. « Tous ceux qui veuillent paroistre grands personnages et qui s'érigent en chefs de secte ont quelque chose de bateleur. Un danseur des cordes n'a garde de se laisser attacher pour se garantir de tomber... » IV, 295.

2. « Mes études sont plustot pour le bien commun que pour mon plaisir particulier. » III, 221. Cf. IV, 337.

3. « Contribuer au bien public et à la gloire de Dieu c'est même chose. » III, 261. Cf. VI, 552. « J'ai eu soin de tout diriger à l'édification. » *Des Maizeaux*, Recueil de diverses pièces, II, 132. — Cf. VI, 106.

4. « Je ne suis pas de ceux qui sont entêtés et la raison peut tout sur moi. » III, 189. « Je suis des plus dociles. » IV, 258, 260, 276; V, 15.

asserendi modo differunt. Omnia quidem in perfecta philosophiae disciplina locum obtinent, at non eodem ordine nec semper per gradus debitos : « Acroamaticus est philosophandi modus in quo omnia demonstrantur, exotericus in quo quaedam sine demonstratione dicuntur, confirmantur tamen congruentiis quibusdam et rationibus topicis, vel etiam demonstratoriis, sed non nisi topice propositis; illustrantur exemplis et similitudinibus; tale dicendi genus dogmaticum quidem seu philosophicum est, acroamaticum tamen non est, id est non rigorosissimum, non exactissimum » (IV, 146).

Nulla igitur esse potest externa veritatis nota, cum cuncta plus minusve vera sint; sed intrinsecum est certitudinis indicium ipsa exactissimae demonstrationis continuatio (cf. IV, 295).

Quapropter duo exstant necessaria quo certius cujusque Leibnitianae enuntiationis constituatur pretium.

Primo nempe refert omnes externas discutere haerendi causas; nam cum pro locis et temporibus Leibnitius sententiam saepius inflectat, negotialis, ut ita dicam, oritur controversia (quae singulis occasionibus diversa semper ab integro dijudicanda est), num nulla sit, ex parte personarum, causa suspicionis qua ad inferiorem locum discussa sententia depellatur. Sed quamvis reperiatur nulla, non ideo doctrinae consideratae prius credendum quam « haud interrupto definitionum, divisionum et demonstrationum cursu interseri » queat (IV, 146) : restat enim ut ordo propositi et constitutio legitima definiatur.

Secundo igitur intus perspicienda est litigiosa quaevis sententia, ut inde colligi possit num et ceteris et ipsi sibi conveniat, et quem obtineat debitum locum. Sic genere toto approbatur quae proposita est peculiaris nostrae inquisitionis ratio; nec, si quid vinculis credendum erit, credulitatis crimini obnoxii videbimur.

II

Illos Leibnitius lectores expetit et « urgens » lacessit, cum illis per litteras lubentissime colloquitur quicumque novam docendi et discendi occasionem praebent. Nec quidquam ferme in vulgus prius edere voluit quam periculum sententiarum in idonea cujusdam amici mente fieret; ex quo vel objectiones vel confirmationes

exspectare posset. His igitur sese totum patefacit et sponte probat qui proposita intelligere, intellecta discutere, discussaque reticere valeant.

I. — Haec porro ipsa est R. P. Bossaei vera effigies, tanquam optimi quem Leibnitius optaret sententiarum conscii et arbitri.

Qui, Hollandia ortus, adulescens adhuc in Societate Jesu fuerat conscriptus, optimamque eruditi temperatique viri famam reliquit; « erat indolis supra modum candidae, facilis et perhumanae »[1]. Cujus scilicet humanitatem publica etiam laude Leibnitius testatus est[2]. Ipsamque Jesu Societatem dictitavit nonnullorum comitate, eruditione et moderatione insignem esse (cf. II, 591; IV, 346, 349, etc.).

Epistulas perscrutanti quarum diuturna utriusque assiduitas numerum valde auxit, patebit Leibnitium pluris illum aestimasse; quippe qui scientia et solerti judicio et modestia (cf. App. C.) et taciturnitate fidem omnino faceret.

Ex veteribus enim scholasticorum operibus excerpta colligere testimonia quae Leibnitianis sententiis faverent, aut recentiores theologorum disputationes « illustri suo amico » mandare solebat, multisque modis operam navavit, ita ut, communicatis nuntiis, commodatis libris, scriba praebito, conciliatoque bibliopola quodam, optime de illo meruerit.

Nec non proprias Bossaei animadversiones, « summus ille philosophus » iterata saepius obtestatione, expoposcit. « Objectiones tuae acutae esse solent » (cf. II, 495); et hoc tanto verius dictum quanto « candidius » alias fatetur objecta nullius esse momenti. Cui praesertim maximam gratiam Leibnitius habuit propter inceptam et approbaturo permissam et diligenter perfectam illius operis cui nomen imponitur *Tentamina Theodicaeae* de gallico sermone in latinum translationem. Consilium tantum vix comprobare primo ausus erat; sed pergenti operi magis atque magis favit, correctionesque et additiones attulit, « plane ad votum suum versione » habita et « textum originalem passim vincente » (II, 427, 433). Quin etiam, quamvis comiter doleat « tantillae rei tempus tantum a

1. *Hartzheim*, Bibliotheca Coloniensis, I, p. 27, b.

2. « Le R. P. Des Bosses, qui enseigne maintenant la Théologie dans le collège des Jésuites de Hildesheim, et qui joint une érudition peu commune à une grande pénétration qu'il fait paraître en philosophie et en théologie... » VI, 100. — Cf. VI, 347.

Bossaeo impendi (nec assentirer, ait, hoc a te melioribus destinato agi, nisi scirem eadem opera rem a te peritissime discussum iri) », existimat suam ab illo doctrinam tam penitus perspectam fuisse ut « vellem vacares mihi redigere totam meam Metaphysicen in disciplinae formam » (II, 499).

Cum illo igitur libere loquitur et fidet ei et eum pluris facit (II, 502, 505 [1]), et illum, non benevolentia mentis tantummodo, sed quodam cordis affectu (perraro quidem aliis praebito) prosequi videtur; quippe qui sentiret ipsi Bossaeum pudenti et devoto animo inservire [2]. Nullum ergo reperitur adhuc praetextum cur suspectae fiant istae epistulae; adeo ut, qui de nonnullis dubitarunt, in iisdem ipsis plurimas dubitandi rationes invenire inconstanter contenderint [3].

II. — Quo fit ut ista de Vinculis [4] doctrina in suspicionem venerit? Multae sunt causae, quarum nonnullae etiam discrepant. Repugnantia vero inter se aut invicem convalescentia brevi nobis pariter excutienda sunt; ita tamen ut, falsis sensim remotis interpretationibus, certum quoddam argumentum concludi queat.

Cum passim epistulae illae, quae *Vincula* proponunt, de Transsubstantiatione Eucharistica agant, nec singulare istud nomen in alio quolibet Leibnitiano scripto promptum fuerit [5], interpretes plerique, rati Leibnitium catholicis dogmatibus [6] et anxiae sacerdotis

1. Cf. App. C. « Quod mihi (Bossaeo) arbitrium defers in Tua cum Hartsoeckero controversia... » — « Multum prodesse posse ad profundiorem rerum cognitionem per animos dilatandam facile intelligo. » II, 490.

2. Cf. II, 490, 491, et V. App. C. « Alios annos (etiam de meis) plurimos sospes felixque decurre. » — « Orandus Pater luminum, ut quod in te coepit, perficiat » (II, 309).

3. « Les trente lettres de Leibniz au P. Des Bosses sont riches en solutions sur le sens intime de théories que Leibniz présentait souvent d'une manière plus ou moins populaire (p. 39)... Il y a tout lieu de croire, d'après la correspondance où on la trouve, que Leibniz n'a jamais pris au sérieux cette doctrine » (p. 54). *Ch. Secrétan*, la Philosophie de Leibniz.

4. « Vinculum, id est Substantia composita, seu res illa quae facit vinculum Monadum (II, 458); res realisans seu potius substantialisans phaenomena. » II, 495.

5. « Vinculum hoc nusquam alias ne nominatim quidem memorari; adeo nullo admodum in pretio hoc artificium habet Leibnitius. » *A. Lemoine*, p. 14.

6. « Nur Condescendenz gegen das Katholische Dogma. *Erdmann*, Geschichte der Philosophie, II, p. 253. Berlin, 2e Auflage, 1870. — Communem interpretum opinionem breviter ac dilucide sic contrahit E. Boutroux : « Le *Vinculum Substantiale* dont parle souvent Leibniz (surtout, il faut le dire, à propos du dogme catholique de la Transsubstantiation) ne saurait être autre chose

quin et Jesuitae fidei [1] peculiares sententias accommodasse, omni studio potius incubuerunt ad comprobandas cavendi causas (cf. *Kahle*, p. 2), quam ad doctrinam penitus edisserendam. Et tales sunt nonnullorum errores ut facile credas eos aut omnino non perlegisse aut praejudicio occupatos mira saltem inconsiderantia quasi digitis tantum extremis attigisse illam litterarum seriem.

Finxerunt alii a Leibnitio quaesitum fuisse ut Monadum doctrina sic grata fieret cunctis qui Transsubstantiationem requirunt [2]. Et hoc certe multisque modis falsum. Nam et longe antea mysterium quod Cartesiana philosophia explicari non poterat [3], ipse palam dictitaverat placitis suis convenire [4], nunc autem et Transsubstantiationem se rejicere aperte confitetur, et doctrinam de Vinculis a monadum constitutione independentem declarat, et flagitat ut litterae suae taceantur [5] : miranda scilicet arte ut rem de qua non agat his probet quibus non scribat et quibus jam antea melius satisfecerit!

At, inquiunt, eo ipso quod sententiam suam Bossaeo commissam in vulgus edi non siverit (II, 328), manifestum fit illum quadam dissimulatione uti; quippe qui veram et simplicem doc-

que la liaison même des monades résultant de l'harmonie préétablie entre leur activité et leur passivité. Quand Leibniz paraît faire du *Vinculum Substantiale* une réalité distincte des monades elles-mêmes, c'est là une simple accommodation au dogme catholique; et il dit nettement qu'il n'est pas plus disposé à admettre cette altération de son système, qu'à admettre le dogme catholique lui-même. » *La Monadologie*. Paris, Delagrave, p. 56. — Cf. *E. Zeller*, Gesch. der deutschen Philosophie, I, 120.

1. Cf. *A. Lemoine*, p. 13, 14, 15, 18 et 19. « Manifestum est eum hoc artificium solummodo adhibuisse quo securam faceret sacerdotis religionem... Invitus ad Vinculi substantialis artificium recurrit, jubente non ratione, sed inquieta catholicae fidei religione. »

2. « Il y a tout lieu de croire que Leibniz n'a jamais pris au sérieux cette doctrine du *Vinculum Substantiale*. Il semblerait d'après la correspondance où on la trouve qu'il l'imagina pour rendre la Monadologie agréable aux partisans de la Transsubstantiation. » *Ch. Secrétan*, la Philosophie de Leibniz, p. 57.

3. « Non intellecta motus natura fecit ut insignes philosophi naturam materiae sola extensione circumscripserint, unde nata est corporis antea inaudita notio, non magis naturae phaenomenis quam fidei mysteriis conciliabilis. » (Erdmann, p. 110, b.) « Fidei mysteria artificiose declinavit Cartesius. » (*Ibid.*, p. 111, a.)

4. « Quod mirum videri possit, Consubstantiationem corporis resolvi in Transsubstantiationem, et qui corpus sub pane esse ajunt destructam panis substantiam relictis speciebus asserere nescientes. » (Erdmann, p. 111, b.)

5. « Quae inter nos acta sunt de philosophicis rebus non puto communicationi in publicum qualicumque apta esse, divulsa scilicet et non in systema collecta. Tibi ea sapienti scilicet, non quibusvis scripsi. » II, 328.

trinam suam non expresserit, sed effictam quamdam dogmatum suorum imaginem. -- Et in hoc quoque tota via errant : nam et cum Bossaeum ad taciturnitatem induxit, nondum de Transsubstantiatione nec de Vinculis sermo fuerat, et ab illis praesertim Leibnitius silentium impetrabat quos altioris philosophiae suae conscios fecerat[1] : facile enim intellegitur « quantae sit molis res a captu vulgi et plerorumque praejudiciis satis remotas demonstrare liquide et a sinistris hominum imperitorum et saepe malevolorum censuris tutas praestare » [2]. (II, 162.) Quae autem multorum judiciis aptare solebat, in publicum dari permisit; etenim, quamvis acroamatico exotericoque verbo insolenter utatur, admodum inusitatum esset esoterica palam, exoterica secreto proponi.

Sed majori etiam errore decipiuntur quicumque ducunt doctrinam istam de Vinculis, aut ut Bossaeo grata foret inventam et defensam fuisse [3] (qui enim hanc parum intellectam semper tanquam inutilem rejecit), aut tantummodo ad Eucharisticam controversiam spectare : namque, antequam de vinculis et de substantiis compositis ageretur, jam expressis de Eucharistia sententiis et placitis, uterque, nullo adjuncto vinculo, sufficientem dari explicationem concesserat. Prior haec disceptatio (6 septembris 1709, II, 388) conclusa erat, antequam vincula proponerentur; et, missis interea aliis XV epistulis, vincula primum proposita sunt (5 februarii 1712, II, 434), antequam de Eucharistia sermo rediret.

Adde quod nunquam de mysterii veritate, sed de modo disputatum est; nec Bossaei seu Leibnitii fides in causa fuit. Nulla igitur accommodatio sacerdoti Jesuitae; nulla catholicae relligioni; nam cum primo Substantiale quoddam Vinculum prompsit Leibnitius, nullo modo Transsubstantiationem peculiariter significabat; quam non attulit uterque nisi quadam ex parte et exempli gratia. Et illud praesertim animadvertendum est, P. Bossaeum ad intellegendam mysterii possibilitatem vinculo nullo indigere, Leibnitium autem vincula inter necessaria Transsubstantiationis requi-

1. « Il n'y a que très peu de personnes à qui j'aye fait part de ce raisonnement. (III, 60.) Je n'écris pas tant pour paroistre que pour approfondir la vérité, qu'il est souvent inutile et même dommageable de publier par rapport à des profanes qui sont incapables d'en juger, et fort capables de la prendre de travers. » III, 67.

2. « Philosophica meletemata non minus quam mathematica vulgi captum superant, sed magis interpretationibus iniquis obnoxia sunt. » II, 339.

3. Cf. *Secrétan*, *Lemoine*, *Zeller*, etc. Vide quoque *Henri Lachelier*, la Monadologie. Introduction, p. 8. Paris, Hachette, 1881.

sita posuisse. Cur enim vinculis insistit, invito Bossaeo, et ipso Transsubstantiationem rejiciente? Quia altior alia orta erat difficultas, quam imprimis in mente habuit; adeoque disjunctae fuerunt quaestiones ut ad extremum (29 Maji 1716, II, 520), reservatis vinculis, novam quamdam Eucharistiae enodationem quaerere potuerit [1] : cum fictione quadam « omne realizans phaenomena tanquam superfluum tollit », haud ex sua persona propriam opinionem depromit, sed excogitat « quid uni ex vestris dicendum foret ». Nec, ut omittantur vincula, Transsubstantiationem sed substantiam compositam corporumque realitatem adimi fingit; ita ut liqueat vincula ad philosophicam prius et potius quam ad theologicam spectare difficultatem.

Ex his facile refellere est quae ex Actis Eruditorum, Calendis Augusti Anno 1715, deprompta [2] nobis objici fortasse possent (nec in alio quodam scripto, credo equidem, vinculorum mentio, ante editas ad Bossaeum epistulas facta est). Idem ille Pfaffius qui de Theodicaea, ut supra relatum est, sentierat, cum de proposito vinculo substantiali rumoris nescio quid afflavisset, sollicitus ne quid nimium abhorrens a reformata fide Leibnitius Catholicae Ecclesiae concederet, illum tanquam judex quaestionis et inquisitor interrogaverat quo melius edoceretur de mente « Illustris Autoris ». Qui hominem noverat, Leibnitius interrogatori nec aegre satisfecit, « rejecto vinculo quolibet seu tertio rebus superaddito, ne in perplexitates philosophicas induerentur Theologi, neu fortasse Eucharistica conjunctio ultra actum perceptionis extenderetur ». Sine fuco enim Leibnitius rejicit Theologicas vinculi rationes; nec ideo « philosophicae perplexitates » negandae sunt. Praeterea si, illusa et improbata Theodicaea, ipse haud creditur, cur extortum ab eodem Pfaffio de Vinculis testimonium ambiguum memoriaque sola haud sine studio relatum fidem faceret?

Jamque igitur nobis investigandi jus agnoscatur num illa de substantiis organicis et de compositorum realitate quaestio naturali ipso Leibnitianae philosophiae processu introducatur, atque ad « veram et inevitabilem substantiae notionem » (*Erdm.*, p. 111) aliquid conferat. Et hoc quidem libere inquirendum, perinde ac si nullo modo de litigiosis Relligionis dogmatibus cum Jesuita quodam ageretur; nam revera de istis praecipue non agitur. Sed

1. Quod *Kahle* objectionem esse duxit, confirmatio aestimanda est. (Cf. *Kahle*, p. 28.)
2. Cf. Appendicem B.

quid multa? Mentem suam nec dissimulat Leibnitius, nec importunas controversias invitus ingreditur (II, 399), et ipse, nec semel, praeoccupat edisserendae quaestionis occasionem, Bossaeumque « urget » (II, 338, 373, 378, 393, 444), et « scire avet quid de nupero temperamento judicetur, re magis expensa » (II, 483). Suprema tamen superest dubitandi causa. Nusquam alias vinculum illud a Leibnitio memoratur; et ut ipse fatetur « hoc argumentum de Phaenomenis ad realitatem evehendis, seu de substantiis compositis (animadverte iterum propositae difficultatis enuntiationem mere metaphysicam) non nisi per occasionem litterarum tuarum tractavi ». (II, 499.) Num tantam ἀπορίαν adeoque gravem solutionem in ceteris scriptis neglectam fuisse verisimile est? Num de dogmate quodam, quod magni esse momenti et vere *suum* aestimasset, tanquam tiro, varius et inconstans esse potuit [1]? An credere licebit illum jam tribus et sexaginta annis majorem dogmata sua aut mutasse aut potius adauxisse?

Licet. Ipse quidem saepius denuntiavit se ex omni ferme parte sibi satisfecisse [2]. Sed novo quodam per gradus debitos ascensu [3] nondum nota se prospexisse, nec semel, confessus fuit [4], haud sublatis sed perfectis anterioribus et inferioribus sententiis. Improvisa etiam illi interdum occurrerunt [5], ita ut, ratus jam portum teneri, ad altum rejiceretur. Quae potissimum ad corporum naturam substantiarumque notionem et relationem spectant, impedimento et morae illi fuerunt [6]; et per totam vitam, ut

1. « Si attendamus eum de hujus Vinculi cum natura, tum etiam existentia incertum semper esse, persuasum nobis erit illud solum, re postulante, tanquam diverticulum excogitavisse. » *A. Lemoine*, p. 14.

2. « La pluspart de mes sentiments ont esté enfin arrestés après une délibération de 20 ans : car j'ay commencé bien jeune à méditer; et je n'avais pas encore 15 ans quand je me promenais des journées entières dans un bois pour prendre parti entre Aristote et Démocrite. Et ce n'est que depuis environ 12 ans que je me trouve satisfait. » 1697, III, 205. — Cf. VI, 559. « Je défie qui que ce soit de marquer un véritable attribut de la liberté que je n'explique et n'éclaircisse, et de donner un système qui satisfasse mieux à tous buts de la religion et de la morale. »

3. « C'est ma méthode : je n'ay pris parti enfin sur des matières importantes qu'après y avoir pensé et repensé plus de dix fois, et après avoir encor examiné les raisons des autres... J'ai changé et rechangé sur des nouvelles lumières. » 1697, III, 205.

4. « Cum nondum satis matura esset philosophia mea... » II, 372. « Nondum perfecta est. » 1698, II, 162, 294, etc.

5. « J'en ai esté enfin convaincu comme malgré moy après en avoir esté assez éloigné autres fois. » 1686, II, 58.

6. « Ceterum sunt in his omnibus aliqua adhuc profundius discutienda, quod lata occasione non omittam » (II, 172, 1699). — « In hac infantia philo-

mox constabit, dogmata sua ditavit [1]; adeo ut moriens imperfectas quasdam metaphysicas meditationes usque ad demonstrationem promovere averet [2].

Nulla ergo extrinseca superest causa cur singularis illa pars epistularum despiciatur vel suspiciatur. Non cauti animi prudentiae, non favoris studio indulsit; nihil relligiosi viri molestiis vel anxietati, nihil Ecclesiae Romanae definitionibus permisit. Expressis igitur verbis ipsiusque vocis quasi sono credendum : « nimiam enim incredulitatem, tanquam mentis morbum » indicat; et « hoc vitio laborant multi valde excedentes mensuram boni Critici » (II, 344). Ipse nos praemonet [3] et consulit : « Interdum quaedam species contradictionis fortasse orietur; re tamen excussa, erit magis in modo enuntiandi quam rebus » (II, 518). Et cum duo contradictionum genera oriri possint, externa scilicet et interna, monitore Leibnitio, inquirendum est quatenus vinculorum doctrina ceteris et ipsi sibi cohaereat, id est quo pacto et quaestio a toto systemate pendeat et solutio quaestioni respondeat. Nec enim solutionem spernere est priusquam, ipsi quaestioni quid credi debeat investigetur.

Illa plerumque omissa cura, diversissimis erroribus obnoxii

sophiae nostrae. » 1699 (II, 187). — « Utinam Meditationes meas metaphysicas de natura substantiae et hinc pendentibus aeque clare exponere possem aut digestas haberem, uti partem dynamices Mathematicam habeo!... Sed facilius mihi est hactenus respondere objectionibus quam omnia perfecte explicare et demonstrare liquide » (II, 162). « Sentio quaedam desiderari adhuc, aliqua non recte exponi » (II, 294). — Haec sane potius forsitan ad modum exponendi quam ad res expositas pertinet. Sed memento ipsam veritatis esotericae certitudinem continua quadam demonstratione constitui (cf. II, 97, 162, 187; IV, 146 et 295). « L'autre difficulté est sans comparaison plus grande et j'avoue que je ne m'y satisfais point » (II, 71).

1. « La Théodicée s'écarte considérablement, dans la forme du moins, de la direction que les précédents ouvrages spéculatifs de Leibniz semblaient annoncer. Aussi plusieurs, même parmi les contemporains, sont-ils allés jusqu'à douter que son auteur l'eût prise au sérieux; tandis que de bons juges y ont vu un changement dans le fond de la pensée et le fruit d'un *nouveau* système », p. 11. *Ch. Secrétan*, la Philosophie de Leibniz.

2. « Après cela, si Dieu me laisse quelque temps de reste, ce sera pour pousser quelques méditations et pour les porter jusqu'à la démonstration. » 1716 (III, 276).

3. « Vereor ne, quae diversis temporibus hac de re ad te scripsi, non satis bene cohaereant inter se, quoniam scilicet hoc argumentum non nisi per occasionem litterarum tuarum tractavi. » Ep. CXXI. — Contradictiones imprimis (II, 475, 481, 483) de interitu aut indestructibilitate Vinculorum animadvertes. Aliae quaedam subtiliores indicabuntur et solventur.

fuere qui doctrinam ipsam explanare experti sunt. Hi omnino discrepans artificium procul a Leibnitiana philosophia expellendum esse censent[1]. Illi, non contrariam sed alienam[2] esse eam ducunt. Alii eamdem, haud foris, sed juxta ipsum Leibnitii systema collocant[3]. Alii vinculis locum, inferiorem sane, sed jam interiorem concedunt, eisque tanquam auxiliaribus in periculo Leibnitium usum fuisse admittunt[4]. Hinc accommodationem aut deformationem, illinc explicationem aut translationem solitarum sententiarum doctrinam istam fuisse creditur[5]. Nonnulli nec discrepantem, nec contrariam, nec alienam, nec diversam esse eam animadvertunt[6]. Pauci (recentiores quidem[7]), vincula pluris facientes, litigiosum illud dogma cum ceteris systematis partibus connectunt[8]; nec tamen rerum ordinem semper secuti sunt. Haud extra, infra, introrsum aut juxta, sed quodammodo extra, intra et supra simul ordinanda sunt Vincula. Quae ut attingas, ima et superiora Leibnitianae disciplinae tibi sunt perspicienda. Solutionis utilitas non apparebit nisi percepta prius quaestionis ipsius ratione.

Primum igitur, qua causa ad novam quamdam doctrinam promovendam incitari potuerit Leibnitius, nos ipsa doctrina docebit.

1. « Constat Leibnitium secum pugnare et a propria ipsius doctrina omnino discrepans artificium excogitare. » *A. Lemoine*, p. 18.

2. « On trouve dans sa correspondance des idées qu'il y introduit uniquement pour se faire bien venir des théologiens, par exemple la théorie du *Vinculum Substantiale*... Il abandonne bientôt l'idée de ce lien substantiel. » *Henri Lachelier*, la Monadologie. Paris, Hachette, 1881, p. 8 et 24.

3. « Notissimum est quam aliena a vera ejus sententia plerisque semper visa sint ea quae hic de Vinculo Substantiali superaddito monadibus nova et satis mirabilia profert,... talia proponens quae nunquam propositurus fuisset, si amici dogmatibus se minus accommodare voluisset. » *Hartenstein*, p. 25-27. — Cf. *Ch. Secrétan* et alios plurimos qui diversas illas opiniones simul admittunt. V. *Kahle*.

4. Cf. *Kuno Fischer*, Gesch. der Philos., p. 388. Vinculum dicitur fuisse « eine Hülfsconstruction ».

5. Cf. *H. Ritter*, *loc. cit.* — *Robert Zimmermann*, *loc. cit.* — *Zeller*, *loc. cit.* — *Erdmann*, *loc. cit.* — Cf. *W. Windelband*, Geschichte der Philosophie, 1892, p. 333 sq.

6. *Nourrisson*, la Philosophie de Leibniz, 1860, p. 209. « Dans l'union de ce principe actif et du principe passif, de cette matière et de cette forme consiste précisément le lien substantiel. »

7. Doctrinam illam majoris fuisse momenti quam solito creditur docuit *H. Joly*, in Facultate litterarum Divionensi olim Decanus. (Anno 1881.)

8. Cf. *Otto Caspari*, *loc. cit.* — *Dillmann*, *loc. cit.* Quibus interpretationibus ipsa haec nostra expositio occurret.

CAPUT SECUNDUM

QUA VIA INTRODUCTA FUERINT VINCULA ET QUEM IN LEIBNITIANA PHILOSOPHIA OBTINEAT LOCUM EXCITATA DE SUBSTANTIIS COMPOSITIS QUAESTIO

Scrutanti quo itinere ad Vincula sua pervenerit Leibnitius, uno eodemque tempore patebit, utrum propositum πρόϐλημα ab illo, abjectis nugis, serio ac vero fuerit discussum, an solummodo introducta propter amicum hypothesi quam ipse inutilem et alienam duceret, et inventa quadam Metaphysica possibilitate, fictam materiam tractaverit ad exercendam fecundi subtilitatem ingenii (IV, 431).

I

Ad conflandam Substantialis Vinculi doctrinam confluxerunt tres veluti fontes, de quorum origine et concursu breviter dicendum; qui separati nihil valuerunt, ita ut ipsa quaestio tantummodo coeuntibus undis nasceretur.

Fons quidem praecipuus ipsa est de substantiarum notione et de corporum natura disceptatio, quae jam a primis epistulis inceperat. Sopita interdum, nec semel, renovata est; et pacatis etiam ceteris disputationibus, recruduit, ita ut, per occasionem Dissertationis de Substantia corporea a Bossaeo ad Leibnitium oblatae, et Vinculum primo propositum fuerit et theologicae difficultates denuo sint agitatae.

Nec tamen ista de substantiis quaestio, de qua saepius alias tractaverat, ad evocandam novam quamdam sententiam sane suffecisset. Necessaria fuit, sed interim tantum, theologica controversia, quo liquidius appareret altioris disquisitionis utilitas. Alii igitur fontes inventionis philosophicae extra philosophiam ponuntur; qui sunt et Multipraesentiae notio et Transsubstantiationis hypothesis (illam quidem admittebat, hanc autem rejiciebat Leibnitius). Sic mutuo et reciproco officio philosophica theologicam, theologica philosophicam complevit vel peperit quaestionem. Qua scilicet ratione, illud paulo accuratius inspiciendum, ut pateat a philosophia profectum, ad philosophiam rediisse sermonem.

Cum de interiore substantiarum et inprimis corporeae naturae constitutione dissereret Leibnitius, ad id inductus est ut, massa reali et spatio ideali a se invicem distinctis, declararet infinitas Monades novas creari posse non augendo massam. Quo fit, ut scissa continuitate inter phaenomena sensibus obnoxia et reales substantias intellectu perceptas, novum quemdam et superiorem ordinem ingrederetur, « sine respectu dimensionum », et quadam μετάϐασι εἰς ἄλλο γένος (II, 372).

Sed extemplo oritur ἀπορία τις (et Bossaeo laudi esse debet hanc perspexisse). « Quod enim sparsim massam non auget, hoc nec collectum extensionem per se faciet » (II, 388). Itaque naturalis sensibilium et realium convenientia interrumpi videtur; et in supernaturalem rerum indeprehensibilium ordinem statim transferimur; quod quidem acumine ingenii Bossaeus sensisse videtur. Nam et quaerit « num operae pretium sit rem hanc maximi in philosophia momenti explanari dilucide magis ad suum suique similium captum » (*ibid.*); et illico disputationem in mysteria fidei transmittit; nulla enim objectio a visibilibus aut ab intellectis sumpta jam valet adversus invisibilia et supernaturalia, si mutatio et multiplicatio substantiarum phaenomena nec mutet nec augeat. « Imprimis ergo juverit nosse quomodo realem corporis Christi in Eucharistia praesentiam juxta principia tua propugnes, quo de argumento nonnihil credo disserueris in opere tuo Anti-Bayliano » (II, 388).

Namque si materia prima nihil aliud sit quam indistincta infinitarum rerum in quacumque substantia expressio, si materia vestita ad id reducatur ut tantum fiat idealis mutuaque monadum dependentia, jam aboleri videntur modi, species, accidentia ceteraque omnia quae media inter phaenomena et substantias intro-

miserat Peripatetica et Scholastica Philosophia : « Cum vires derivativae juxta te nihil aliud sint quam virium primitivarum modificationes, quo pacto sublatis primitivis manere derivativae possint, non capio, nisi forte modos cum accidentibus quae vocamus absoluta confundis » (II, 396).

— Nunc autem, postquam mediante philosophia theologica orta est quaestio, investigandum est qua via denuo, theologia mediante, philosophica resurgeret aucta et altior indagatio.

Uterque fidei suae disciplinam, nec ambiguis verbis, significat. Bossaeus Transsubstantiationis dogma profitetur « catholice definitum »; « apud nos autem, ut ait Leibnitius[1], nullus est locus neque Transsubstantiationi neque Consubstantiationi panis; tantumque pane accepto simul percipi corpus Christi, ut adeo sola explicanda sit corporis Christi praesentia » (II, 390).

Atqui, haec tria, examinata litterarum illarum serie, asseri queunt : 1° Utrinque supponitur realitas quaedam corporum, aut substantia organica seu composita, quae non pendeat a phaenomenis sensu perceptis, nec ab ipsis monadibus. — 2° Utrinque exigitur « Metaphysicum aliquid », et superior agendi modus, genusque quoddam existentiae « nullam habens ad dimensiones relationem » (II, 399). — 3° Utrinque disputatur quod sit, nec num sit Eucharistiae mysterium ; utrinque indagatur quae in utraque hypothesi requirantur, et inprimis quatenus accidentia realia panis per phaenomena sola explicari possint an ipsis in Monadibus fundata maneant. Tria illa praepostero ordine repetamus.

3° Si Cartesius, redacta ad solam extensionem corporeae substantiae natura, mysterium Eucharisticum inexplicabile fecisset[2], num illud facilius permittebat reformata a Leibnitio substantiae notio, ita ut, ad explicandam mysterii possibilitatem, sufficeret phaenomenorum et monadum dualitas[3]. Nonne tertium aliquid superaddi debeat? Ambigitur enim quae sit servatorum panis phaenomenorum causa, quodve accidentium substratum.

1. Cf. Fr. Kirchner, Leibnitz's Stellung zur Katholischen Kirche. Cöthen. 1875.

2. « Ce que Descartes dit de l'étendue, comme elle faisoit l'essence du corps, ne sçauroit estre soutenu même en philosophie, pour ne rien dire de la religion. » IV, 308. « Si l'essence de la matière consiste dans l'étendue, il n'y a pas moyen d'expliquer la présence réelle dans l'Eucharistie. » IV, 345.

3. Transsubstantiationem enim nec permittit unum substantiae genus, nec duo substantiarum admodum separata genera; distinctionem atque simul unionem, dualitatemque in unitate quadam exigit illud dogma.

Quae cum ita sint, fingi potest aut conservatis panis monadibus « tantum subtrahi id per quod ens novum monades producunt, nempe Unionem illam superadditam, in qua substantiati realitas consistit » (II, 399), aut « sublatis monadibus panem constituentibus, quoad vires primitivas activas et passivas, substitutaque praesentia Monadum corpus Christi constituentium, restare solum vires derivatas, quae in pane fuere, eadem phaenomena exhibentes quae monades panis exhibuissent » (II, 390-391); ita ut tum intra monades et sensus, tum ultra monades admittendum sit tertium aliquid, seu (quod placuit Bossaeo) accidens non modale et absolutum, seu (quod Leibnitio potius fuit) Unio metaphysica, substantialitatis principium, sine quo panis non jam sit panis, quamvis monades ipsae eaedem supersint.

Hoc igitur animadversione dignum, Bossaeum nihil requirere substantialius, ut ita dicam, quam ipsas monades, Leibnitium autem jam supponere realitatem quamdam compositam, ex qua oriatur aggregati substantia nova. Ille existimat monades esse veram et solam substantiam compositi, phaenomenaque Eucharistica fundari in Accidentibus absolutis; hic fingit eadem ista phaenomena fundari in ipsis monadibus, veramque corporis organici substantiam in ulteriori aliquo consistere [1]. Utrinque igitur admittitur « tertium aliquid »; sed a Leibnitio proposita (in modum fictionis) explicatio jam secreto processu ad altiorem substantiae compositae doctrinam tendit.

Ut Transsubstantiationem (quam rejiciebat) per superadditam monadibus Unionem metaphysicam enodaret, inductus fortasse fuit Leibnitius propria sua Eucharistiae interpretatione : « secundum nostros non dicitur includi pani corpus Christi, sed cum eo accipi, ubi nulla ad dimensiones alligatio necessaria est » (II, 399). Sic panis manet panis; non tolluntur monades, non pereunt accidentia, non mutantur phaenomena, semperque bene fundata, ut solito, sunt. Sed uno et eodem tempore corpus Christi praesens fit panem accipientibus; vel potius fit multipraesentia sacrosancti corporis ipsiusque panis accepti. Atqui « multipraesentia ejusdem corporis non habet opus replicatione aut penetratione dimensionum, sed explicanda est per praesentiae genus nullam habens ad dimensiones relationem (II, 399), velut si Deus

1. Solum ad illud discrimen pertinent haec Leibnitii verba : « Quod si omnino nolis... » (II, 436). Quae interpretes nonnulli explanaverunt, tanquam si Bossaeus Vincula a Leibnitio extorqueret.

efficeret ut aliquid immediate operaretur in distans [1] (II, 403); operationem corporis naturalem in distans utique improbo, supernaturalem non aeque (II, 407); et cum dimensiones hanc ubicationem non ingrediantur (II, 409), multipraesentia aliquid est Metaphysicum, ut Unio : quod non explicatur per phaenomena » (II, 390).

Quid plura? Cum sit praesens corpus Christi nec in pane, nec loco panis, ita corporis organici notio suppositique natura haud ponitur in requisitis, et « ultra congruentiam apparentium » (II, 436), quin et ultra realitatem ingredientium procedit.

2° Diversa igitur via Multipraesentiae notio et Transsubstantiationis hypothesis, ipso interprete et teste Leibnitio [2], ad unum et idem hoc conveniunt : tertium aliquid superadditur et phaenomenis et monadibus; nam « *Praesentia* aliquid Metaphysicum est ut *Unio* » [3]. Non tantulum interest, vel etiam nihil ad rem pertinet si accidentia sint « absoluta quaedam », si possint « admitti puncta accidentalia et eorum Unio et Extensio accidentalis absoluta » (II, 436) : haec mere assumptiva sunt et Bossaeanis objectis accommodata. Totum autem est in eo si ponenda sit quaedam substantiae natura a phaenomenis physicis et ab ipsis monadibus independens : quod quidem magis etiam Leibnitii quam Bossaei fides requirit.

Itaque, jam dirempta controversia (in ipsa re enim convenerant) (II, 409, 411), cum de natura corporum, post tacitam utriusque meditationem, disputatio resurrexit, novae illae notiones, aliunde manantes, vi secretae cujusdam dialecticae confluxere; nec ubi prior quaestionem renovat Leibnitius (II, 435), dicit : « Si fides, ad Transsubstantiationem », sed : « Si fides, ad corporeas substantias nos adigit »; nec dicit : « Si Transsubstantiatio vestra, si fides tua... », at « si fides *nos* ad corporeas substantias adigit » (haud scribit *adigat*); *fides*, id est mea aut tua pariter (vel etiam potius

1. Quod metaphysicam praesentiae et operationis in distans notionem attinet, cf. VI, 61 (1704). — Vide quoque : Œuvres de Leibniz, *A. Foucher de Careil*, Paris, 1859, t. I, p. 241 et 265.

2. « Hoc ostendetur, quod nemini in mentem venit, *Transsubstantiationem* et *multipraesentiam realem* in ultima Analysi non differre; nec corpus aliter in multis locis dissitis esse posse, quam ut sua substantia sub diversis speciebus intelligatur... » (I, 75). — Cf. VII, 327.

3. Unio, quid sit in metaphysica, cf. Dutens, II, 1, 344. « In unione (quoad metaphysicam pertinet), res inter quas haec relatio est dicuntur *partes*, sumtae cum Unione *totum*. Unum esse intelligitur quicquid uno actu intellectus, simul, cogitamus. »

Leibnitii quam Bossaei); tunc necesse est tertium aliquid seu quod ulterius definietur Vinculum asseverari.

Et ea fuit Bossaei utilitas ut ipse Multipraesentiae requisita improvisasque difficultates Leibnitium doceret; qui olim, Cartesiana detrectata philosophia, suam fidei vel catholicae mire convenire praedicaverat (I, 75); nunc autem sensit quaedam repugnare « multisque tricis adhuc obnoxia esse (II, 390); ita ut ista ἀπορίᾳ monitus altiorem (II, 409-410) (et ut aiunt recentiores philosophi transcendentalem) rerum naturam nova disquisitione dignam esse censuerit [1]. Illa igitur de Transsubstantiatione disputatio tantummodo occasio et admonitio exstitit cur Leibnitius amplius et communius argumentum, « scilicet de corporibus ad realitatem evehendis », secum agitaverit.

1° Controversiae enim origo fuerat hoc propositum : « infinitas Monades novas creari posse, non augendo massam; massa est phaenomenon reale, nec in phaenomenis quicquam mutatur ob novae Monadis ortum. » (II, 371.) Inde quaesitum fuit quae sit connexio inter phaenomena et ingredientia; namque cum massam extensam non ingrediantur monades, cum ipsa massa non ingrediatur substantiam veram, restat ut nec in unitatibus monadicis nec in multitudine extensa physicorum, sed in Unione suppositi vel in ipsa compositione corporum organica reperiatur vera et metaphysica substantialitas.

Jam ergo patet constitutus rerum ordo : ultra phaenomena, monades; ultra monades, tertium aliquid; et hoc tertium (si sint corpora realia admittenda, et si fide exigantur) vocari potest Unio realis suppositi, vel substantia composita. Sic de apparenti corporum compositione (φαινόμενα) ad simplicia, de simplicibus ad compositionem sensibus superiorem et vere substantialem (νοούμενα) procedendum.

Illa est historica, ut ita dicam, investigationis origo. Jamque sat probata, sat seria res videtur ut omnibus vestigiis indagetur. Nunc autem etiam scrutandum num aliunde ortam quaestionem

1. Nec de Transsubstantiatione tantum agitur, sed de Incarnatione et aliis mysteriis. Quaestio theologica et latior fuit quam credunt eam fuisse interpretes plerique, et utilior, cum philosophicam tandem difficultatem ostenderit Leibnitio ubi ipse nullam antea viderat. « Neque aliqua alia re, quam Monadibus earumque modificationibus internis, ad Philosophiam oppositis supernaturalibus, indigemus. (Cf., contra, II, 517.) Sed vereor, ut mysterium Incarnationis aliaque explicare possimus, nisi vincula realia seu uniones accedant. » II, 461.

Leibnitius ceteris sententiis revinxerit, adeo ut non theologico, sed philosophico nexu dogmata, sine repugnantia, compleret. Raptim igitur currenda via est qua, per totum aevi spatium, noster substantiarum notionem emendaverit et perfecerit [1]; quo certius dijudicari possit num ipse Leibnitianae philosophiae processus ad illam Vinculorum doctrinam perveniat. Tunc fortasse liquebit jam ortam fuisse difficultatem (et in ipsis Bossaei epistolis) ante excitatam de Vinculis et de Transsubstantiatione controversiam.

II

Quinque exstant gradus (atque sex, si « Uniones et Vincula » admittentur, numerabis) per quos debitos ad completam substantiae notionem provehimur : quorum priores quinque et inferiores propriis et expressis verbis indicavit Leibnitius : « Distinguo : 1° Entelechiam primitivam seu Animam; 2° Materiam nempe primam seu potentiam passivam primitivam; 3° Monada his duabus completam; 4° Massam seu materiam secundam, sive Machinam organicam, ad quam innumerae concurrunt Monades subordinatae; 5° Animal seu substantiam corpoream, quam Unam facit Monas dominans in Machinam. » (II, 146-252, ad De Volder, 1703. Cf. IV, 395.)

Nec quamprimum ad illam doctrinam pervenerat; nam, ipso teste, plus quinque et viginti annis (III, 205) mutatae et concoctae fuerant sententiae. Principio enim scholasticorum disciplina imbutus erat, nec illum unquam paenituit [2]; admodumque adulescens et vix quindecim annos natus, in horto quodam Lipsiensi secum agitabat num *formas substantiales* reservaret (III, 606).

Mox autem, secundo philosophici processus stadio, magnum Cartesii nomen et pulchra totius universi per solum mechanismum explanatio illum cepit paululumque detinuit; quippe qui, demonstratae veritatis ipse amantissimus, mathematica Cartesiani systematis ἀκριβείᾳ fuerit allectus [3]. « Figura igitur, motu et magnitudine

1. « La substance dont la connaissance est la clef de la Philosophie interieure... » III, 567.

2. « Estant enfant j'appris Aristote et même les scholastiques ne me rebutèrent point; et je n'en suis pas fasché présentement... » Vide propriam illius philosophantis historiam, III, 606.

3. « Ego nihil agnosco in corporibus nisi magnitudinem et figuram et

omnia explicari » paulisper censuit. (I, 173 (1671); IV, 164-165-171.) Nullum tamen postea diem intermisit quin cuncta fieri mechanice asseveraret, sed salva et sedulius in diem praeposita ulteriori rerum explicatione. (Cf. II, 314.)

Mox enim extensioni primum ἀντιτυπίαν (I, 26; IV, 171) addendam censet; formamque substantialem repetit (IV, 164); et ab impenetrabilitate resistentiaque corporum deducit vim ipsi materiae insitam; et physicam rerum naturam aliud quoddam praeter extensionem in corporibus requirere (III, 48), et discussa quietis [1], inertiae extensionisque ipsius notione sentit fontes mechanismi (IV, 391, 398, 472; VI, 588) altius esse exhauriendos; adeo ut, peripatetica et scolastica disciplina renovata, incolumi etiam Cartesiana, physicas, mathematicas et metaphysicas propter causas funditus substantiae notionem emendaret : « Ego plane quidem assentior omnia naturae phaenomena specialia mechanice explicari posse, si nobis satis essent explorata, neque alia ratione causas rerum materialium posse intelligi; sed illud tamen etiam atque etiam considerandum censeo, ipsa Principia Mechanica, Legesque adeo naturae generales ex altioribus principiis nasci nec per solam quantitatis ac rerum Geometricarum considerationem posse explicari, quin potius aliquid Metaphysicum illis inesse, independens a notionibus quas praebet imaginatio, referendumque ad substantiam extensionis expertem. Nam praeter extensionem ejusque variabilitates inest materiae vis ipsa seu agendi potentia quae transitum facit a Metaphysica ad naturam, a materialibus ad immaterialia. Habet natura velut imperium in imperio, et ut ita dicam regnum duplex, rationis et necessitatis, sive formarum et particularum materiae, quemadmodum enim omnia sunt plena animarum, ita, et organicorum corporum ; adeo ut duae diversissimae series in eadem substantia corporea sese referant, ac perfecte consentiant inter se. » (IV, 390. Cf. IV, 398, 472, etc.)

Mathematicis igitur adinventionibus munitus, variisque adversus Cartesianos controversiis exstimulatus, insignique meditationum acumine, anno circiter 1685, praecipua sua de substantiis

situm et horum mutationem in partibus vel toto. Cetera dicuntur, non intelliguntur : sunt sine mente soni. » 1678 (I, 197).

1. « De la manière que le corps est conçû vulgairement, on s'imagine qu'il pourrait être en repos. Et selon moy, je tiens que cela implique contradiction... On n'a pas bien expliqué la nature de la substance, laquelle estant bien entendue on trouvera que ce qui n'est qu'étendue ne sçaurait faire une substance. » III, 96 (1693). Cf. III, 458; II, 434.

dogmata definiverat, quae summatim delineata nunc singultim perspiciam.

(1) « Materia prima, seu nuda, vel Potentia primitiva passiva, Passivitas, τὸ δυναμικὸν, πρῶτον παθητικόν, πρῶτον ὑποκείμενον, principium resistentiae, extensionis exigentia » (II, 309), mera privatio quaedam est, nec unquam seorsum subsistit (IV, 512). Namque, « cum singularia a mente creata perfecte explicari aut capi non possint, quia infinitum involvunt » (II, 300), cuique varia positio, variusque situs. Itaque « substantia simplex, quamvis non habeat in se extensionem, habet tamen *positionem* quae est fundamentum Extensionis, cum Extensio sit positionis repetitio simultanea, ut lineam fluxu puncti fieri dicemus. » (II, 339.) « Non in extensione, sed extensionis exigentia cônsistit. » (II, 306.)

(2) « Entelechia, vis primitiva et insita, distincte quidem intelligi potest, sed non explicari imaginabiliter. » (IV, 507.) « Differt vis activa a potentia nuda vulgo scholis cognita, quod potentia activa Scholasticorum, seu facultas, nihil aliud est quam propinqua agendi possibilitas, quae tamen aliena excitatione et velut stimulo indiget, ut in actum transferatur. Sed vis activa actum quemdam sive ἐντελέχειαν continet, atque inter facultatem agendi actionemque ipsam media est, et conatum involvit; atque ita per se ipsam in operationem fertur; nec auxiliis indiget, sed sola sublatione impedimenti. » (IV, 469.) Quam saepius definivit et comprobavit Leibnitius (III, 66, 657); ita tamen ut nunquam hanc sejungat a materia insita. (III, 458.)

(3). « Monas[1] his duabus completa, Atomus est substantiae punctumque metaphysicum; et « ipsa haec rerum substantia in agendi patiendique vi consistit (IV, 508), in qua est velut perceptio et appetitus (IV, 512). « Monades non sunt partes, sed fundamenta, non ingredientia, sed requisita phaenomenorum (II, 262, 270). » « Nec animabus assignanda sunt quae ad extensionem pertinent, unitatemque earum aut multitudinem sumendam esse constat non ex praedicamento quantitatis, sed ex praedicamento substantiae, id est non ex punctis, sed ex vi primitiva operandi (II, 372), cum indicium substantiae sit actio. » (Cf. IV, 526.) « Omne corpus est mens momentanea. » (I, 72, sq.)

(4) « Massa (cf. IV, 512) seu materia secunda et vestita, sive

1. Anno 1696 primum illo verbo uti videtur. Cf. II, 142. Vide annotationem. Cf. L. Stein, Leibniz und Spinoza, p. 201.

Machina organica ad quam concurrunt innumerae Monades subordinatae », nihil aliud est quam phaenomenon, ut iris (II, 118, 119), sed bene fundatum; et tripliciter quidem fundatum. Primo enim, quamvis monades extensionem realem non ingrediantur, continuationem tamen resistentiae extensionisque exigentiam generant. Secundo etiam convenientia phaenomenorum, perceptionumque et in diversis monadibus et in quacumque mente harmonia, realitatem, ut ita dicam, perceptis confert idealem. Tertio denique « Deus exacte res videt quales sunt secundum geometricam veritatem, quanquam idem etiam scit, quomodo quaeque res cuique alteri appareat, et ita omnes alias apparentias in se continet eminenter » (II, 438), earumque veritatem facit. (Cf. IV, 439.)

Hoc nempe accuratissime animadvertendum : quod in massa reale vel substantiale exstat, nullo modo illud est quo sensus moventur, nec rursum percepti aggregati « semimentalis unitas ». (II, 304, 306.) Istud « Ens per aggregationem » (quod in corporibus quibusvis exstat, cum viventi etiam jam praesens sit futurum cadaver), derivata et efficta est notio, quae sensibus et intellectu quasi ex adulterio gignitur[1]. « Materia nempe utique non per se concipitur, sed per partes quibus constituitur. » (II, 221, 262, 270; IV, 475.)

(5) « Animal seu substantia corporea[2], quam Unam facit Monas dominans in Machinam » (II, 252), ex harmonia idealique subordinatione monadum pendet. Nam « natura materiae a sapientissimo auctore constructae semper affectat ordinem seu organizationem » (II, 306) ; omniaque, quamquam diversis gradibus, animata sunt (II, 118; V, 544). Morte carent animae (VI, 543); et ut anima, animal permanet, nec interit : « nulla tamen Entelechia affixa est certae parti materiae (nempe secundae) aut, quod eodem redit, certis aliis Entelechiis partialibus. Nam Materia instar fluminis mutatur, manente Entelechia, dum Machina subsistit » (II, 305, 306, 482); atque « instar vestium Arlequini comici cui post multas tunicas exutas semper adhuc nova superest ». (Dut., Ep. ad Wagner. II, 228.) Et cum « infinita sint organa in animalis corpore, alia aliis involuta, hinc constat machinam animalem et in genere machinam naturae non prorsus destructibilem esse. » (II,

1. Justum fortasse, ut infra dicetur, connubium facient vincula.

2. Corpus enin animadverte ex ambiguo dici posse : « Cum dico animam nihil posse in corpus, tunc per corpus intelligo non substantiam corpoream, sed aggregatum. » II, 205.

307; VI, 554, 601.) Hinc nullum est corpus sine animabus, nec quidquam substantiale semota anima (IV, 395); illinc « spiritus finiti omnes habent corpora organica ». (Dut., II, 227.)

Sic igitur quasi contabulata videtur Leibnitii doctrina; nec mirum si forte assertiones negationesque, etsi cohaerentes, repugnare interdum dixeris. Distinguendum nempe id quod « substantiatum » ipse vocat, et quod « substantiale » et organicum animalis corpus constituit. Quae de illo asseri, de hoc negari possunt et e contrario. Utrumque sane « conflatum ex substantiis rem substantialem » appellat (II, 224). Utrinque etiam dicendum « non esse plura entia ubi non est unum ens » (II, 106) [1]; « compositumque non esse substantiam, sed aggregatum substantiarum » (III, 545). Substantiatum vero seu Ens per aggregationem tantummodo mentalem habet unitatem, sine alia quam piscium ejusdem stagni congruentia; organicum autem corpus vocari potest « quasi-substantia, semi-mentalis, et semi-realis »; nam unitas viventium non in sensuum perceptionibus nec in ideali convenientia solum, sed in subordinatione et cooperatione partium consistit. Illinc ergo corpora mera sunt phaenomena, hinc autem realia sunt, exprimuntque non tantum perceptionum, sed substantiarum consensum.

Ita multae evanescunt falsae contradictiones. Quicumque massam extensam vere substantialem esse ducunt, eis Leibnitius objicit sic everti corporum realitatem; quippe qui massam merum esse phaenomenon demonstret. Sed realitatem corpoream affirmat « quatenus unitates substantiales non sint partes, sed fundamenta phaenomenorum » (II, 268). Quo fit etiam ut, quae negat, ipse objiciat: tum enim ne tollat, tum ne ponat substantias corporeas argumentatur; nec tamen contrariae dissident rationes, eodem fere modo quo lineae, aliae in alia dimensione plana ductae, in neutra parte concurrunt.

Adde huc quod, perfectis nondum sententiis, Leibnitius, in diversa distractus, diutius sane vacillavit [2]; adeo ut quod ipse res-

1. « Ce qui n'est pas *un* estre n'est pas un *estre*. » II, 96.

2. Non est dubium quin ad idealismum vergeret Leibnitius; sed an idealismus cum alia doctrina compossibilis fiat haec quaestio est. Triplici considerato, ut ita dicam, vacillationis motu : — α) illi placuit primo corpora realia esse quaedam; vehementerque eos impugnat qui extensionem docent ipsam corporum esse substantiam; quippe qui sic naturae corporeae realitatem evertant. — β) Tum, positis monadibus, nihil ultra est nisi phaenomenon : « Compositum non est substantia, sed aggregatum substantiarum (III, 555).

puere visus fuerat, illud in suam sententiam adsciverit, nulla quidem palinodia, sed singulis quaestionum partibus subtilius dispectis, aut personarum et locorum ratione habita. Nam quotiescumque praejudicia vulgi vel Cartesiana placita respicit, sententiarum certissimus nodos explicat quibus ceteri implicati haeserunt [1]; sed suspecta rei tam abstrusae altitudine, controversiam nunquam dirimit, nec, quasi ad summum nodus praecideretur [2], se ab ulteriori investigatione prohibet.

Quidquid id est, certa illa quae exposui, sunt propria de corporibus Leibnitii placita; nec quidquam horum (etiamsi vincula admittenda sint) mutabitur. Semper enim docebit ille extensionem et quaecumque sensibus percipiantur satis explicari, et doctrinam suam de Monadibus haud esse ὑπόθεσιν tantum, sed vim obtinuisse demonstrationis [3]. Nec ideo clauditur superioris ordinis aditus. Idealismum quidem profitetur, sed et Realistae personam agit, cum de physica rerum natura disserit; simili igitur ratione, postquam Idealistam egerit, nihil impediet quominus Realismum quemdam superiorem ingrediatur. Namque sicut mechanismus in dynamica vi substantiis insita fundatur, ita forsan monadum constitutio et convenientia ex fonte altiori reconditam originem ducit. Et eodem modo quo, sine atomis substantiae, extensa ad nihilum redigerentur, nonne pari ratione, sine alio quodam principio reali, composita et organica corpora ipsaeque Monades tanquam evanescerent? Cf. IV, 511.

Praeterea novum quoddam impedimentum passim confitetur.

Là où il y a une substance, il n'y en a pas plusieurs, et plusieurs n'en peuvent former une seule (II, 106, 135, 186, 224). Un composé n'est pas un Estre doué d'une véritable unité (III, 144). Nil substantiale semota anima (IV, 395). — γ) Sed, phaenomenis ut phaenomenis perceptis et fundatis, nonne « relationes formales ex pluribus substantiis oriri possunt, et e pluribus una nova? » (II, 226, 438.)

1. « Hanc hypothesim vulgares philosophorum notiones non facile refutaverint; apud me stare non potest. » II, 336.

2. Ut supra dixi, ad idealismum profecto, opinione nec semel prolata, inclinavit. Sed *opinio* nullo modo opinionem contrariam prohibet, quin et opinionis contrariae possibilitatem implicat. Cf. II, 96, 98, 100, sq., 186, 221, 276, 281; VI, 586, 625, sq. — « Etsi tota haec vita non nisi somnium, et mundus aspectabilis non nisi phantasma esse diceretur, hoc sive somnium sive phantasma ego satis reale dicerem, si ratione bene utentes nunquam ab eo deciperemur... Verum fatendum est, quae hactenus allata sunt, non esse demonstrativa, ita ut contrarium poni implicet contradictionem. » VII, 320. Cf. VI, 590.

3. « Mon sentiment... qui a tous les avantages qu'on peut souhaiter dans une hypothèse et qui même doit passer pour quelque chose de plus qu'une hypothèse. » IV, 590. « Ce ne sont pas des hypothèses; elles sont démontrées. » II, 563.

Cum « series infinitorum non possit pro uno toto haberi (Dut., VI, 185, 194; Ger., II, 424), quomodo fit ut corpus organicum « ex unitatibus infinitis » (II, 314) sit *unum per se*? « Etsi massa jam habeat ubique unitates, tamen novas semper capit; massam non auget Entelechia. » Quomodo « massa ex solis monadibus resultare poterit? » (II, 388.) « Haec infinita materia, si in cumulum unum redigatur, facietne molem aliquam an non? si faciat, ergo et dispersa molem faciet : si congregata molem non faciat, quomodo ergo verum est, quod alias me docebas, ex solo situ partium materiae molem sive extensionem consurgere? » (II, 369.) « Si solae monades essent substantiae, alterutrum necessarium esset, aut corpora esse mera phaenomena aut continuum oriri ex punctis, quod absurdum esse constat. Continuitas realis non nisi a Vinculo Substantiali oriri potest » (II, 517). Denique « qua ratione intellegi potest relationum realitas, si nullum sit communium subjectum, seu conjungentium praedicatorum et modificationum » (II, 517). Ex his igitur constat quaestionem de Vinculis, extra theologicam controversiam, natam fuisse. (Cf. II, 409-412; VI, 612.) Ipse quidem, nec semel, *possibilem*, quin etiam *utilem* et optandam esse censuit subtiliorem corporeae naturae inquisitionem : « aliquid altius in corporibus intelligendum » (II, 195); judiciumque de Metaphysica suppositi Unione reservavit (III, 658).

Jam exinde colligi potest nullum esse locum Vinculis substantialibus *infra* aut *intra* quinque illos gradus per quos ad notionem materiae organicae pervenimus; « Quicquid in ipsis Monadibus addes, inane est » (II, 519). Sed ulterius novam quamdam superesse ἀπορίαν constat. Nulla ergo oriri potest externa contradictio, cum res sit alius ordinis, et cum, admissis etiam omnibus anterioribus solutionibus, aliquid restet investigatione dignum. Quae cum ita sint, aut ista Vinculorum doctrina *extra* alia Leibnitiana dogmata omnino rejicienda est aut *ultra* procedit : jamque magni refert fieri *posse* ut ipsa ceteras transcendat. Nec quidquam aliud primum comprobare in animo erat.

CAPUT TERTIUM

QUARE COMPOSITAE SUBSTANTIAE PROPONENDAE VIDEANTUR

Posse superaddi tertium aliquid phaenomenis et Monadibus, certum. *Esse superaddendum* hoc ambigitur. Nec jam Theologicis, sed Philosophicis argumentis indigemus, ut pateat num intrinseca sit doctrinae litigiosae cohaerentia. Tria igitur ista quaeruntur : 1° quibus causis requirantur compositae (si quae sint) substantiae; 2° quae reperiantur in aliis scriptis ejusdem doctrinae lineamenta; 3° quomodo in ipsis ad Bossaeum scriptis litteris viam Leibnitius haesitans praetentaverit. Deinde scrutandum supererit quid demum excogitari potuerit, quod realitatem phaenomenis extra percipientia conciliaret (II, 485).

I

Fide, ut supra dictum est, inductus fuerat Leibnitius ad considerandam substantiae corporeae metaphysicam compositionem. Nunc autem ratione sola num exigatur substantia quaedam composita inspiciendum. Namque, si rationali et ut ita dicam naturali egeret principio quo philosophicis disciplinis coadunaretur, tota ista doctrina, etsi fortasse « supernaturaliter » vera, extra philosophiam esset excludenda, tanquam gratis addita, de qua nil asseri, nil negari queat.

Et hoc sane notatione perdignum : cum primum vincula proposuit Leibnitius (II, 435), epistulam ad Bossaeum missam medi-

tatione quadam secreta praeparaverat. Atque in hoc liturario scripto, nuper edito (II, 438), quo se ad disputandum instruxerat, nulla lectoris cujuslibet habita cura, liberius et quae supersint ipsius doctrinae desiderata ostendit, nec theologicam ullam quaestionem praetendit, nec iisdem dubitationibus quibus palam, clam haeret. Illic candide idealismi sui impedimenta et quasi rimas confitetur, nec jam theologum, sed philosophum tantummodo agit.

Atqui enim, cum magis magisque ad idealismum vergeret, rerum accuratius distinctione et dispectione facta, servatoque quaestionum debito ordine, sententias suas ne quae hybrida maneret, purgaverat ab omni inconvenienti temperatione. Itaque, quod antea tacito et temerario nisus postulato asseruerat, jam denegat : « Si id quod Monadibus superadditur ad faciendam Unionem substantiale esse negas, jam corpus substantia dici non potest; monades enim per se *ne situm quidem* inter se habent, nempe realem, qui ultra phaenomenorum ordinem porrigatur. » (II, 444.) Et Bossaei objectiones praeviderat : « Aut perceptiones sive cognitiones nostras per mera phaenomena non verificari dicendum est, aut cum antiquis illis dicendum erit omnia esse vera quae apparent : solem e. g. esse sesquipedalem, ut taceam, hac explicandi corpora ratione Physices et Matheseos concretae objecta tolli videri. » (Bos., II, 448.) Nam ipse Leibnitius hoc idem attenderat : « Si corpora sunt phaenomena et ex nostris apparentiis aestimantur, non erunt realia, quia aliter aliis appareant. » (II, 438.) Ubi ergo est consensus ille in quo solo quaerendam esse corporum realitatem dictitavit [1] ? (IV, 523.)

Nec tamen adhuc quo se vertat nescit. Nam quae alia aliis apparent velut in « scenographia », sunt « phaenomena Dei », Deoque apparent velut in « ichnographia », secundum Geometricam veritatem. « Scenographiae diversae sunt pro spectatoris situ, ichnographia seu geometrica repraesentatio unica est » ; atqui « Deus exacte res videt quales sunt, et scit quomodo quaeque res cuique alteri appareat; et ita omnes alias apparentias in se continet eminenter. » (*Ibid.*) « Nec tantum singulas Monades et cujuscumque Monadis modificationes spectat, sed etiam earum relationes; et in hoc consistit relationum ac veritatum realitas », duratio, situs,

1. « Tout ce qu'il faut attendre des choses corporelles, c'est leur accord. » VI, 536. — Cf. IV, 356.

praesentia, commercium, et connexio; « et revera veritates de toto pronuntiari possunt, quae etiam apud Deum valent. » Et illa omnia, tantum idealia sunt, tantum scientiae visionis objectum, tantum divini intellectus vera repraesentatio. « *Sed* PRAETER *has relationes reales concipi una potest perfectior, per quam ex pluribus substantiis oritur una nova.* » (II, 438.)

Potest concipi, potest oriri. Nec primum Leibnitius sane expressis verbis cur concipienda, ne significat quidem, num concipienda sit et admittenda. At saltem indicat qua via mere philosophica ad conceptionem istam pervenerit, et qui Vinculis, si admittentur, assignandus videatur ordo. Nam in eodem hoc liturario scripto secum raptim definitiones solitaque de substantiis placita commemorat, tanquam si novo hospiti locum residendi, convenientiam aestimaturus, accommodaret. (II, 439.)

Jamque adumbratae apparent altiores quae Vinculis favent rationes. « Cur enim homo magis substantia quam doctus, aut cur animal magis substantia quam rationale? aut quamobrem omnia quae subjecto albo tribui possunt, non sunt modificationes albedinis, sed quae homini, sunt modificationes humanitatis? » (II, 439.) Quid hoc rei sit, operae pretium est diligenter attendere.

Etenim cum Divinus intellectus Monades singulas earumque modificationes et relationes contemplatur, conspiciendo veritatem conspectorum comparandoque idealem realitatem connexorum facit. Sed quae distinctio fit possibilium et realium relationum, vel quid inter compositionem essentiarum et compositionem substantiarum interest? Compositorum sane longe alia est quam compossibilium notio [1]; quippe quae Divinæ voluntatis quam optima eligentis effectus sint. At ipsa compositio, si solius intellectus visio sit utrinque, nihil aliud fit in actuali et optimo quam in possibilibus et pejoribus mundis. Nonne igitur « harmonia ipsa substantialis est praeter harmonizata? » (Bos., II, 448); an vacuum quoddam formarum admittetur [2]? an optimus mundus perfectionis cujusdam indigebit? an quod substantiarum con-

1. Hoc sane magni est momenti. Cf. apud *L. Stein*, Inedita Leibnitii, XIII, p. 312. « Deus ab initio non tantum infinitam rerum seriem, verum etiam infinitas combinationes possibiles actionum, passionum mutationumque ipsarum rerum praescivit et praedeterminavit... Distinguendum est inter rerum series possibiles et actuales. »

2. « Ce seroit un defaut d'ordre, que certains philosophes appellent Vacuum formarum. » (VI, 543.)

sensum rerumque compagem et universi excellentissimam pulchritudinem conficit, minus reale erit quam ipsa ingredientia et requisita? an Dei voluntas impar fiet intellectui, ita ut, quae conspiciantur optima in optimis, non decernantur?

Si res ita se haberet, de iis quae revera sunt, omnia vere dici possent quae possent fieri, nec realis quaelibet compositio ab ideali differret : nam relationes rerum quaecumque similiter apud Deum, cui nota pariter possibilia et realia, valerent. Et res ipsae substantiales, scilicet Monades, ne situm quidem habentes et omnimodis compositionibus obnoxiae, vix fortasse intellegi et servari possent. Ex hoc autem quod « termini latius patent quam res » (II, 439), colligere est discrimen fieri inter compositionem possibilium et idealium (quam exprimunt termini) et compositionem realium (in qua consistunt substantiae). Eidem rei plures termini tribuuntur ; iidem termini pluribus substantiis conveniunt ; sed pluralitas terminorum, id est essentiarum, non componit unum per se seu substantiam ; et pluralitatem modificationum relationum terminorumque admittit unum per se seu substantia. Sic ex ipsis grammaticae legibus [1] quae caecas cogitationes occultaque rerum vincula detegere solent, inferre licet, cum « ex omnibus non faciamus vocabula substantiva » multum interesse inter essentialem et substantialem compositionem : itaque « nova addita substantialitas non erit simplex resultatum, seu non constabit ex solis relationibus veris sive realibus, sed praeterea addet vinculum quoddam substantiale, nec solius divini intellectus, sed etiam voluntatis effectus erit. » (II, 438.) Cf. II, 470, sq.

Illis inductus causis Vincula sua proposuit Leibnitius ; et forsitan, concocta ista doctrina, aliae novae vel favebunt vel obstabunt ; nunc quidem satis habeas illum proponendo philosophum egisse, nec ceteras sententias ideo mutasse, sed interim et exspectata recognitione adauxisse.

II

Jamque igitur constat quaestionem de substantiis corporeis, etsi ex occasione ortam, ad interiores Leibnitii meditationes per-

1. Ex Logica Leibnitiana multae quoque analogiae sunt ducendae. Cf. Diss. de Nizolio, 1670. Erdm., 69 et sq. — Vide etiam : *De Principio Individui*. « Omne individuum sua tota Entitate individuatur. » Cf. *Gurhauer*, *loc. cit.*, — *Franz B. Kvêt*, Leibnitzens Logik nach den Quellen dargestellt. — Prag, 1857.

tinuisse, atque ex argumentis mere philosophicis pependisse, ita ut reperiri possit iter quo a solitis placitis ascenderit ad dubitationem illam. Sed antequam solutionis ratio doctrinaeque perfectior forma definiatur, inquirere expedit quid primo vinculorum partes susceperit, aut quatenus haesitans noster viam praetentaverit. Uno eodemque tempore solventur fictae quaedam contradictiones, et quo modo vincula proposita acceperit, reprehenderit et ignoraverit Bossaeus manifestum fiet.

I. — Quamvis Leibnitius profiteatur se argumentum illud de substantiis corporeis non tractasse nisi per occasionem litterarum ad Bossaeum scriptarum (et hoc quidem verum, cum quaestionem ipsam nondum ab omni prosmicuitate antea purgasset), constat tamen eum simile aliquid jam prius confuse admisisse.

Nam cum primum philosopharetur, formas scholae substantiales comprobavit, sed ita definitas ut ipsa massa sensibus obnoxia substantiae verae vices acciperet[1]. Mox autem dignitatem illam ad solam Animam seu ad Monadem dominantem transtulit, adeo ut corpus organicum substantia vera, nec aggregatum tantummodo fieret (III, 260); sed massa sensibus percepta nihil aliud est nisi phaenomenon vel ens per aggregationem. Dein ipsa organizatio mera esse apparentia existimatur, nec procedere videtur ultra phaenomenorum congruentiam; sed Unio quaedam non negatur metaphysica (III, 658), « quae ex phaenomenis explicari non potest, nec quicquam in iis variat » (II, 371), nec in Monade quolibet consistit[2].

1. « Formam substantialem, id quo substantia corporis unius a substantia alterius corporis differt... quis non admittat? figura est aliquid substantiale et a materia reapse distinctum. » (I, 10, 16, 18, 44, 164. Cf. IV, 165, 434.) « Je crois qu'on ne se peut passer des formes substantielles que je dis être incorruptibles et indivisibles, parce que sans cela on ne pourroit trouver d'unité dans le corps. » Lettre à Pellisson, 1692. (Œuvres de Leibniz publiées par *A. Foucher de Careil*, t. I, 1859, p. 328.)

2. Praecipua quaedam notanda sunt loca quibus vincula praesignificantur aut exiguntur : « Il faut nécessairement qu'il y ait quelque chose qui réponde aux âmes ou aux formes substantielles, mais les philosophes de l'École ont manqué en employant leurs formes et leurs qualités (dont la connaissance est importante pour la métaphysique, morale et théologie) à expliquer les phénomènes particuliers de la nature, où elles ne changent rien. » III, 345, 1697. — « J'aurois eu grand tort d'objecter aux Cartésiens que l'accord que Dieu entretient immédiatement, selon eux, entre l'Ame et le Corps, ne fait pas une véritable union, puisque assurément mon harmonie préétablie ne sauroit en faire davantage. Mon dessein a été d'expliquer naturellement ce qu'ils expliquent par de perpétuels miracles : et je n'ay tâché de rendre raison que

II. — Sic paulatim alio et altius derivatur difficultas [1]; atque quasi tabulata scanduntur, quae nos ad superiorem Vinculorum ordinem praeparant et promovent. Nec tamen prima aggressione perfectam nec non inflectendam doctrinam, « mutare iterumque mutare solitus », producit. Quomodo et cur variaverit quaerere non abs re alienum videtur [2]; ita enim falsae vitabuntur interpre-

des Phénomènes, c'est-à-dire du rapport dont on s'aperçoit entre l'Ame et le Corps. Mais comme l'Union Métaphysique qu'on y adjoute n'est pas un Phénomène, et comme on n'en a pas même donné une Notion intelligible, je n'ay pas pris sur moi d'en chercher la raison. — Cependant je ne nie pas qu'il y ait quelque chose de cette nature; et il en seroit à peu près comme de la présence dont jusqu'icy on n'a pas expliqué non plus la notion, lorsqu'on l'a appliquée aux choses incorporelles, et qu'on l'a distinguée des rapports harmoniques qui l'accompagnent, et qui sont aussi des phénomènes propres à marquer l'endroit de la chose incorporelle... VI, 595, 1704. — Cf. VI, 602. — II, 296, 298, 354, 371, 390, 400, 403, 439. Et ista omnia ante excitatam de Vinculis controversiam, 1712. — Cf. alias : « En niant l'influence physique de l'âme sur le corps ou du corps sur l'âme, c'est-à-dire une influence qui fasse que l'un trouble les lois de l'autre, je ne nie point l'union de l'un avec l'autre qui en fait un suppôt : mais cette union est quelque chose de métaphysique qui ne change rien dans les phénomènes. Et par cette raison on peut dire aussi dans un sens métaphysique que l'âme agit sur le corps et le corps sur l'âme (VI, 45). 1710. — « Quoyque je ne tienne point que l'âme change les lois du corps, ny que le corps change les lois de l'âme et que j'aye introduit l'Harmonie Préétablie pour éviter ce derangement, je ne laisse pas d'admettre une vraye union entre l'âme et le corps, qui en fait un suppôt. Cette union va au métaphysique ; au lieu qu'une union d'influence iroit au physique (VI, 81). 1710. — « Une véritable substance (telle qu'un animal) est composée d'une âme immatérielle et d'un corps organique, et c'est le composé de ces deux qu'on appelle *Unum per se* (III, 657). 1715. — « Les âmes s'accordent avec les corps et entre elles en vertu de l'harmonie préétablie et nullement par une influence physique mutuelle, *sauve l'union métaphysique* de l'âme et de son corps, qui les fait composer *unum per se*, un animal, un vivant (III, 658). 1715.

Opinio contraria sic exprimitur : « La substance corporelle complète, véritablement une, que l'École appelle *unum per se* (opposé à l'estre par aggrégation), résulte du principe de l'Unité qui est actif, et de la masse qui fait la multitude et qui seroit passive seulement, si elle ne contenoit que la matière première. Au lieu que la matière seconde ou masse qui fait notre corps, a partout des parties qui sont des substances complètes elles-mêmes lorsque ce sont d'autres animaux ou substances organiques animées ou actuées à part. Mais l'amas de ces substances corporelles organisées, qui constituent notre corps, n'est uni avec notre âme que par ce rapport qui suit de l'ordre des phénomènes naturels à chaque substance à part » (III, 572). 1702. — « Vulgo quaeruntur in Scholis quae non tam ultramundana quam Utopica sunt... respondi illam* nescio quam metaphysicam unionem quam Schola addit ultra consensum non esse phaenomenon, neque ejus notionem dari aut notitiam. Ita nec potuisse me de reddenda ratione cogitare » (II, 281). 1706. — Cf. VII, 322. VI, 590.

1. « Jusqu'ici nous n'avons parlé qu'en physicien. » VI, 602.

2. Nec primum, in ipsis illis ad Bossaeum litteris, sensisse videtur aut

tationes [1] ad quas multi tanto propensiores fuere, quod Bossaeus ipse, re parum perspecta, saepius a proposito Leibnitianam sententiam deflexit tulitque transversam; adeo ut interdum Leibnitius quoque, nondum dogmatis certus, in contradictiones inciderit. De quibus questus consensit; nec vero ineluctabiles eas duxit esse.

Primo nempe (5 Feb. 1712), semper hypothetico ut ita dicam modo usus est Leibnitius : *Si* fides nos ad substantias corporeas adigit, *si* substantia corporea aliquid reale est praeter monades... », quippe qui, quaestione reservata, solutioni tantum incubuerit. Itaque lubenter communem difficultatem, de qua secum non satis consentiebat, singulari cuidam hypothesi (scilicet Eucharisticae Transsubstantiationi) subjicere visus est; et hoc quidem eo lubentius quod Catholicum illud dogma rem proponeret sensuum naturaeque leges transcendentem : quo sane disputatio sua in arena reponebatur.

Quibus positis, definire conatur novum illud subsistendi genus quod « in unione quadam aut potius uniente reali a Deo superaddito monadibus consistere » videtur. Et quemadmodum monas simplex his duabus constituitur, materia scilicet nuda et entelechia primitiva, ita, ex analogia, substantia composita his completur duabus, Unione scilicet metaphysica quae Entelechiarum monadicarum eminente quadam Synthesi consummatur, et substantiali corporis organici Vinculo, quo uniuntur invisibili nexu quaecumque, in materia nuda, inextensa quidem extensionem exigunt. Sic ad imaginem illorum quae distincte et imaginabiliter concipi possunt, explicare ista conatur quae imaginationi non sunt, ex hypothesi, obnoxia.

Considerata igitur priori illius doctrinae forma, haec notanda sunt. — α). Duplex est Unionis unitas, ita ut composita imitentur simplicia; et quinque supra descriptis gradibus, alios duos addit perfectior substantiae notio, scilicet formam substantialem seu Unionem metaphysicam, quae ex compositione Entelechiarum oritur, et materiam primam (seu Vinculum), quae ex synthesi potentiae passivae monadum constituitur [2]. — β). Vinculum illud

arripuisse voluit « latam occasionem » altioris, quam expetierat, indagationis. Inde haesitationes plurimae. Non perfectam doctrinam exponit, ceteris jam antea aptatam, sed exponendo perficit, ceteras ex improviso perficientem.

1. Cf. *A. Lemoine*, *loc. cit.*

2. Animadverte illud a Leibnitio sensim mutatum fuisse. Ita ut, finiente

substantiale quamvis a perceptis phaenomenis omnino differat, realitatem saltem constituit phaenomenorum. Sic solvi posset implicatissimus ille nodus, quomodo inextensa extensionem generent; nam « ipsa materia prima, nempe extensionis et antitypiae, seu diffusionis et resistentiae exigentia », talis non esse videtur, si nulla fiat potentiae passivae monadum primitiva unio. — γ). Vinculum (« cum materia sit in fluxu perpetuo nullumque punctum revera assignari queat quod ultra momentum eumden locum servet ») (II, 435) nasci et extingui potest, nisi a Deo miraculose conservetur.

Atqui circa tria ista, multum ambigitur. Etenim, — α) si monades quasi scindi debeant, hinc potentiae passivae, illinc activae; praeterea si ab utraque fragmentorum summa pendeant et Unio et Vinculum, quem ingredimur labyrinthum? Et jam vix illud (etsi abstrusissimum) « dici posset, quamvis monades non sint accidentia, accidere tamen substantiae unionali; et cessante etiam extensione quae ipsi corpori accidit, solam superesse extensionem phaenomenam! » — β) Super haec, Vinculum et Unio nihil ad corporeas apparentias pertinere debent; nam, teste Leibnitio, « Unio ex phaenomenis explicari nequit, nec quicquam in iis variat » (II, 371); quatenus enim phaenomena sunt, mera sunt phaenomena, et monadibus satis fundantur et producuntur. — γ) Denique, cum omnis substantia inexterminabilis sit, ex eo ipso quod Vinculum dicatur substantiale, colligendum est illud nec extingui posse.

Inde, in disputatione plurima occurrunt impedimenta. Cum de metaphysica corporum natura disserit Leibnitius, Bossaeus physicis haeret. Tantummodo sensibus obnoxiam unitatem et continuitatem explanare conatus, inventoque verbo et « modis quibusdam non accidentalibus » allatis, se nodum exsolvisse existimavit; quamobrem Leibnitius, quamvis longe altiorem indagationem et a sensibus remotam prosequeretur, quotiescumque illius in arenam controversiam detulit, consilium suum sensim mutare et tanquam deprimere coactus fuit[1]. Illi igitur accidit quod iis acci-

controversia, nulla sit Unionis et Vinculi dualitas, nulla supersit compositorum et simplicium sensibilis analogia. « Non dico inter materiam et formam dari medium Vinculum, sed ipsam potentiam primitivam, passivam et activam, ipsi Vinculo inesse. » II, 516. — Jam ergo sex tantummodo, nec septem sunt gradus per quos ad completam substantiae notionem producimur, ut supra dictum est (p. 28).

1. Illis ambagibus implicati *Kahle* et alii plerique Vincula parvi fecere. Rati

dere solet qui nova et a recepta sententia non minus quam a specie rerum communi defendunt dogmata : dum proprias sententias consuetasque suas opiniones tuentur, ulteriorem processum praetermittunt; inferioribus obnoxii aggressionibus superiorem aditum ipsi ingredi supersedent; atque ne nova improvisaque dogmata cum ceterorum praejudiciis misceantur, solitae suae doctrinae novitatem comprobare contendunt. Atqui Vincula, quamvis multo longius ab opinionibus vulgi distent quam ipsae Monades, multo facilius tamen inconsultis vulgi comparationibus sunt obnoxia.

Sed quid plura? ita falsis interpretationibus implicata est vinculorum doctrina, ut Leibnitius ipse, nec semel, eam refellere visus fuerit[1]. Sed tandem, remotis omnibus errandi causis, principalem doctrinae illius vim et significationem, ipso magistro, indicare licet : cui investigationi duae praesertim litterae plurimum conferent, prior (1712) in qua, meditatione secum habita, vinculum substantiale proponere coeperat; posterior (1716) et omnium ultima, in qua cunctis intermissae saepius et impeditae controversiae[2] excussis ambagibus, tanquam testamento expressas uno tenore de re abstrusiore sententias noster reliquit.

Leibnitium vincula ista *massae* ipsi attribuisse, nullo modo (jure quidem) admittere potuerunt illum massam (quam saepissime phaenomenon merum esse dictitaverat, II, 444) substantialem esse duxisse. Quae de Vinculis negavit Leibnitius confirmant quae de ipsis asseruit, non destruunt.

1. Quod quidem, haud sine acumine ingenii, notavit *Thomsen* : « Ita fieri poterit, ut vulgarem illam de corporibus sententiam cum Monadologiae de ipsis doctrina conglutinatam quasi tanquam alienam a sese exponere videatur initio, postmodo probare eam, mox detrahere denuo aliquid huic laudi, donec tandem Monadologiae consentaneis maxime respectis desinat in adoptandam fere hypothesin de Vinculis. » P. 102. — Eadem illa verisimilitudine deceptus, *J.-E. Erdmann*, ad ingeniosam nimis interpretationem adductus est : « Adversarius ipsius Leibnitii partes tenere conatur, cum noster suas aquilas jam reliquerit. » *Leibnitii Opera Philosophica*, Praef., p. XXIII.

2. « Quae de vinculis olim ad te scripsi, nunc non invenio (II, 481). Ignosce quod saltatim scribo et ideo fortasse non semper satisfacio; nam ad anteriora scripta recurrere non possum. » II, 518.

CAPUT QUARTUM

QUO SUBSTANTIAE COMPOSITAE CONSTITUI QUEANT ET QUID SIT VINCULUM

Quidnam igitur excogitari potest quod sit aptum ad realitatem phaenomenis extra percipientia conciliandam? « nec realizare tantum sed potius substantializare corpora » oportet (II, 495. Cf. 503, 504). Quo fiet istud?

Et maximi momenti esse hanc disceptationem senties, si memineris nullam exstare substantiam vel simplicem sine ullo corpore[1]. « Corporea sane seu composita substantia restringitur ad sola viventia, seu ad solas machinas naturae organicas » (II, 486, 496, 520); sed ubique sunt animae quibus semper respondent organica corpora; materiae insunt Entelechiae; Entelechiis adhaeret materia vestita et vestiens (III, 508, § 18); ita ut quaestio illa totum ad systema rerum pertineat[2].

Ex hoc solo quod corpora sunt realia praeter percipientem,

1. « L'âme n'est jamais sans quelque corps organique convenable à son état présent. (IV, 564.) Les vivants seront toujours indestructibles, non seulement par rapport à la substance simple, mais encore parce qu'elle garde toujours quelque corps organique. » (Des Maizeaux, II, 386; 1711.) « Tout ce qu'on peut appeler substance est un être vivant. » (VI, 624.) Cf. *Dut.*, II, 39.

2. « S'il n'y a point d'unité substantielle indépendante de l'union extérieure de l'attouchement, il s'ensuit que hors mis l'homme il n'y auroit rien de substantiel dans le monde visible. » II, 77 et 73. 1686. — Cf. II, 98. « Je croy que de vouloir renfermer dans l'homme presque seul la véritable unité ou substance, c'est estre aussi borné en métaphysique que l'estoient en physique ceux qui enfermoient le monde dans une boule. »

vinculum admittendum est; « qui substantiam compositam admittit (ut facit, ni fallor, omnis Schola), etiam hoc admittet. » (II, 503.)

Quid sibi velit ipsa quaestio, diligenter enim inspiciendum est. Substantializare corpora, id est efficere ut sint intus una per se et activa eodem modo quo nobis una per accidens et activa extrinsecus videntur. Porro nec de percepta sensibus multitudine (quae nulla est substantia, sed substantiarum simplicium coexistens ordo), nec rursus de ideali monadum convenientium harmonia agitur. Haud in re percepta, haud in mente percipienti indeprehensibilis perceptorum corporum quaerenda est (sit sit) intima unitas, aut (quod idem sonat) materiae organicae substantia vera; sed ex principio unionis uno et primitivo sumenda est [1].

Quemadmodum enim ex infinita rerum externarum multitudine unum fit perceptionis punctum quod mundum exprimit universum, ita ex infinita monadum serie cuique corpori organico insitarum, una fit compositio. Externa igitur multitudo facit monadem seu primitivam simplicis substantiae unitatem; multitudo interna facit organicam et compositam corporum substantialitatem. Sic « e pluribus substantiis oritur una nova » (II, 438). Prior nempe relatio idealis, posterior autem realis. Altera sensibus et imaginationi et mathematicis obnoxia; altera discursivam mentis humanae activitatem et repraesentationes distinctas transcendit. Illa in mente tanquam in speculo; haec in realitate tanquam multipraesens et efficax operatio. Illa causarum efficientium et necessitatis (id est possibilium) ordinem effingit; haec causarum finalium et libertatis verae (id est existentium) processum realem constituit. Illa, cum etiam ad perfectam notitiam perducatur, tantummodo rerum possibilitatem a priori demonstrat (IV, 577), quae ab intellectu divino pendet; haec vero existentiam et substantialitatem exprimit, quae divino voluntatis numine producitur [2].

Ut Monas est Echo externorum, et tamen ab externis est independens, ita Vinculum est Echo Monadum, Echo internorum, sed ab internis quoque independens, Echo in qua fons actionum suppositi resideat, Echo originaria, quae componentes exigat tantum, verum non ex iis essentialiter constituatur, alioqui foret

1. « Non dico inter materiam et formam dari medium vinculum, sed ipsam compositi formam substantialem, et materiam primam sensu scholastico sumtam, ipsi vinculo tanquam essentiae compositi inesse. » II, 516.

2. « Dieu est la source des possibilités comme des existences, des unes par son essence, des autres par sa volonté. » Nx Essays, II, XV.

aggregatum (II, 517), Echo, ut ita dicam, respondens et vocans, sed tali pacto ut diverbium sit naturale consuetumque nec necessarium, et, salvis monadibus vel aliis ingredientibus, substantia composita tolli queat et vice versa. « Nil enim prohibet quin Echo possit esse fundamentum aliorum, praesertim si sit Echo originaria. » (II, 519.)

Sic composita cum simplicibus concinunt ; composita imitantur simplicia. Vinculum consistit « in potentia activa et passiva primitivis compositi, idque erit quod Materiam primam et formam substantialem vocant. Et oportebit, ut accidentia compositi sint ejus modificationes ; quae quidem transitoriae sunt, ipsa autem substantia composita durabit aeque ac Monas dominatrix. » (II, 486.)

Nec tamen Vinculum illud, cum sit perceptionis ratio ultima et realitas, ipsum hoc esse quod in corpore percipitur temere arbitremur ; nec contra promiscue cum dominanti monade illa metaphysica Unio implicanda est[1] : quae enim monades cunctas, quocumque assignabili numero plures, unitate vera componit, et, pro rata parte, unamquamque, prout sunt omnes, repraesentat[2]. Ceteras continet, nec continetur ulla, separabilis etsi plerumque naturaliter non separata. Non modificatio est, nec fons modificationum. Non modus substantiarum, non substantia modorum. Haud conflatur ex substantiis, haud substantias constituit. « Monades habere vel tales habere Monades, est naturale quidem, non tamen essentiale, sed accidentale substantiae compositae. Nam fieri potest, ut per absolutam Dei potentiam cesset esse Echo, et Monades ab ipsa separentur » (II, 504). « Istud realizans phaenomena efficere debet, ut substantia composita contineat aliquid substantiale praeter monades. » (II, 511.)

Non monadum modus est, quia sive ponas, sive tollas nihil in monadibus mutatur, quas exigit nec essentialiter involvit, quoniam existere potest sine monadibus et monade sine ipso (II, 516) ; nec rursus monades sunt vinculorum modi. Nam si nulla esset substantia simplex, nec daretur composita. Oportet ut Monades sint substantiae (nam « si nullae sunt monades quales concipio frustra de earum vinculo deliberamus »), et oportet ut hoc vinculum (si

1. In hoc *Ch. Secrétan* aliique plurimi tota via erraverunt.

2. « Les Unités quoyqu'elles soyent indivisibles et sans parties, ne laissent de représenter les multitudes, à peu près comme toutes les lignes de la circonférence se réunissent dans le centre. » VII, 542.

datur), sit substantia; « alioqui inutile judico » (II, 503). « Oritur discrimen formale inter substantiam compositam et monadem, rursusque inter substantiam compositam et aggregatum. » (II, 519.)

Sicut morte carent animae, ita etiam verae substantiae compositae non gignuntur nisi ad sensum (II, 516); « nam ut saepe dixi, non tantum anima, sed et animal manet ». Nec igitur existimandum animal in monade dominanti consistere; nam in hac monade relatio ceterarum tantummodo idealis fit, et quaeque monas semper est tanquam mundus proprius « sine fenestris ad extra ». Nulla enim relatio, nulla modificatio, nullum accidens simul in duobus subjectis esse potest; sed relatio utrique communis res est mere mentalis. Ita ut, fundata in dominanti Monade tantum, unitas compositi merum esset Phaenomenon. « Ordines monadum revera in neutra sunt; hanc relationem non intelliges nisi addas vinculum reale, quod sit subjectum communium. » (II, 517.)

Et cum iterum Bossaeus Vinculum cum monade illa dominanti misceret, « quaeris tandem, respondet Leibnitius, per quod mea substantia composita differat ab Entelechia. Dico ab ea non differre, nisi ut totum a parte, seu Entelechiam primam compositi esse partem constitutivam substantiae compositae, nempe vim activam primitivam. Sed differt a Monade, quia est realizans phaenomena; Monades vero existere possunt, etsi corpora non essent nisi phaenomena. » (II, 519.) Ne igitur verba nos decipiant : substantia composita non est summa componentium [1], nec una quaedam ex ingredientibus; non in vinctis, non in vincientibus consistit : vinclum est. Haud componitur, haud componit; vel potius compositis simul átque componentibus inest, praeest et subest, relativa et absoluta simul. Itaque « substantia illa non consistit formaliter in monadibus et earum subordinatione [2], ita merum foret aggregatum seu ens per accidens, sed consistit in vi activa, et passiva primitiva, ex quibus oriuntur qualitates et actiones passionesque compositi. » (II, 517.) Cf. III, 582.

1. « On ne trouvera jamais rien de réglé pour faire une substance véritable de plusieurs estres par aggregation. » II, 101.

2. Quod scilicet omnes ferme interpretes fefellit. Plerique substantiam compositam duxerunt simplicium quasi summam esse. « Die Vereinigung von einfachen Substanzen zu einem Organismus ist eine Unio realis und bildet gewissermaassen eine zusammengesetzte Substanz, indem die einfachen Substanzen gleichsam durch ein « Vinculum substantiale » mit einander zu einem Ganzen verknüpft sind. (Fr. Ueberweg, *Grundriss der Geschichte der Philosophie*. Dritte Auflage, 1872, p. 125.)

Quo fit ut, sublatis ingredientibus quae formaliter non insunt, compositum manere possit (nec posset aggregatum). Et quamvis « a Deo regulariter agente non ponatur substantia composita nisi dentur ingredientia », tamen miraculo abesse possunt, illa praesenti, illa abesse potest, his praesentibus (quod obiter Transsubstantiationem Eucharisticam permittit). Cf. II, 505, 518.

Itaque existentia Vinculi ab ipsa notione independens est. « Vinculum hoc substantiale naturaliter, non essentialiter vinculum est. » Contingens dicendum est, nec requiri potest, exigitur tantum. « Si realizans phaenomena praesupponeret aliquid praeter monades, jam compositum esset realizatum contra hypothesin. Quicquid existit praeter Monades et Monadum modificationes, realizantis phaenomena consectarium est. » (II, 516.)

Jam Vinculi vices manifestae fiunt. Tolle vinculum omne : tunc corpora in phaenomena mera abeunt; nulla datur continuatio realis (II, 517); « extensio ipsa nihil foret nisi phaenomenon resultans ex apparentiis simultaneis coordinatis, et eo ipso omnes controversiae de compositione continui cessarent. » Pone autem vincula : extemplo quod tantummodo organicum erat aggregatum seu substantiatum, fit vera substantia; nec tamen substantiatum ipsa est vinculi substantialitas; sed patenti corpori occultam confert realitatem Vinculum; ita ut quae apparent et quae sunt, licet omnino cognoscendi ratione differant, unum idemque revera exstent (cf. IV, 575-76). Reapse illud substantia est, non monadum modus, quamvis naturaliter ei monades respondeant : potentia primitiva, activa et passiva, inest essentiae; compositum vero essentialiter haud est compositum (cf. II, 516, 518). Utrumque enim dicendum est : hinc « sensus nil pronuntiant de rebus metaphysicis, eorumque veracitas in eo consistit ut phaenomena consentiant inter se » (II, 516); illinc « sensibus deprehenduntur actiones passionesque compositi, si plus quam phaenomena esse ponantur » (II, 518); sensusque naturaliter φιλοσοφοῦσιν et Metaphysici quidam sunt; ita ut prima intuitio cum altissima rerum constitutione conveniat et supremus philosophiae conatus ad confirmandam demonstratione comprobandamquae fidem hominum spontaneam tendat.

Temere igitur interpretes multi Vinculum duxerunt aut « corporis animam » exstitisse spiritumque more stoicorum definitum, aut ipsam corporeitatis massam constituisse, aut medium dari quoddam inter monadem et proprias ipsius monadis modi-

ficationes, aut idealem inter actiones et passiones substantiarum relationem nexumve inter formam et materiam texuisse. Vinculum nempe illud a massa sensibus percepta tantum differt quantum distant ab experimentis mathematicae demonstrationes; a monade dominanti tantum differt quantum ab essentiis substantiae; ab ideali passionum et actionum congruentia tantum differt quantum a logica causarum efficientium necessitudine abest libera finalium efficacitas; a mera formae et materiae harmonia tantum differt quantum ab intellectu divino Numinis voluntas. Quae tamen prorsus ab invicem dissident et quae difficillime, omisso vinculo, uniri possent, omnia ista, vinculi illius vi et gratia, prorsus coagmentantur ac mutuo « insunt ». II, 516.

Quae cum ita sint, excitatae quaestioni mire solutio congruit; ita enim substantia composita, et a sensibus et a Monadibus independens, sensibus tamen satisfacit, Monadibus parcit atque favet, et (cum ultra congruentiam phaenomenorum procedat), creatura est voluntatis nec tantum visio divini intellectus fit. « Sic, ut ait Leibnitius, re jam excussa, in rebus ipsis nulla contradictio superest. (Cf. II, 518.) Mea igitur doctrina de substantia composita videtur esse ipsa doctrina Scholae Peripateticae, nisi quod illa Monades non agnovit [1]. Sed has addo, nullo ipsius doctrinae detrimento. Aliud discrimen vix invenies, etsi animum intendas. » (II, 511.)

1. Illa quidem additio maximi est momenti; nam, monadibus rerum seriei insertis, metaphysica scientiae et scholastica doctrina cartesiano mechanismo revincitur.

CAPUT QUINTUM

QUID DEMUM ET INVENTAE SOLUTIONI ET SUPPOSITAE DE SUBSTANTIIS COMPOSITIS QUAESTIONI CREDIDERINT BOSSAEUS ATQUE IPSE LEIBNITIUS

« Re jam accuratius considerata » (ut Leibnitius Bossaeo suaserat), et solutis plerisque contradictionibus, concludendi gratia, utriusque placita de substantiarum compositarum natura et de Vinculorum realitate et utilitate indicare licet. Aliud enim est doctrinam excogitare quae intellegi et accipi possit, atque aliud eamdem reapse certo assensu tenere. Ceterum ipsa solutionis forma quaestionem renovavit ipsam nec nihil momenti ad totius doctrinae eventum habuit. Quapropter finiente controversia, utriusque locum circumspicere expedit.

I

Bossaeus quidem, quamvis sententias Leibnitianas praesertim morales et theologicas, Theodicaea translata, satis perspexisset, totam philosophiae illius disciplinam passim et quasi disjectis membris expositam complecti nec potuit, haud lata occasione [1], nec valuit, mathematicis et physicis disciplinis parum institutus [2].

1. « Qui me non nisi editis novit, non novit. » Ep. ad Placcium, 1696. *Dut.*, VI, 65.
2. « Quod dolens commemoro, mathematica tua, in quibus regnare te fatentur ipsi Cartesiani, quod egregiam hanc disciplinam vix a limine salutarim, tacito pede praeterire quam illoto attingere satius duxi. » II, 292.

Quae inprimis ad corporum naturam spectant (cum apud Leibnitium non minus mathematicis rationibus quam moralibus rebus cohaereant), non omnino intellexit propriaque praejudicia exuere nequivit[1].

Cujus vero nulla sane est culpa. Corpora esse quaedam substantialia, Transsubstantiationemque permitti admisit, nullo cujuslibet doctrinae detrimento; nec illi curae erat Leibnitiani systematis cohaerentia. Rem discutit propter rem, haud propter « fundamentalem rerum universarum inspectionem ». Quin et Hypothesin quam discutit « tanquam ingeniosum paradoxum » tantummodo suscipit (II, 487).

Nec igitur de substantiis compositis oriri difficultatem quamlibet, nec ad eam solvendam utilia esse, quin et necessaria proposita Vincula, nec ad ipsam explicandam, de qua lubentissime tractavit, Transsubstantiationem ea aliquid conferre sensit; adeo ut nec quaestionis momentum nec solutionis commodum satis perspexerit; nec ullo modo Vincula admittenda censuit vel saltem sedula disquisitione esse digna : quae tantummodo extrinsecus consideravit, verbi gratia, et tanquam qualemcumque explicationem, ipsis suis « modis non accidentalibus » inferiorem.

Utiles sane illius fuere instantiae, nonnumquam « acutissimae », ut ipse dixit Leibnitius. Sed verus argumentationis processus tantummodo in intima Leibnitii meditatione deprehendendus est. Saepius enim Bossaeus « physicum » sensum, ubi Leibnitius metaphysicum indicavit (II, 446, 447; 511), interpretatus est; atque profecto, in tota de Vinculis disputatione, nihil amplius perspexit quam discrimen (haud spernendum quidem) inter verba : « modalia et substantialia Vincula ». Itaque ipsa Leibnitii verba usurpare possumus : « Candide dicere possum, nihil esse in objectionibus istis quod memorari posse videatur. » II, 511.

II

Gravem vero, nec fictam tantummodo esse quaestionem de corporibus ad realitatem evehendis constat; nec medii aut infimi,

1. Quod Leibnitius exempli gratia et quadam ex parte discussit, Bossaeo mox controversiae caput esse hoc visum fuit. Alter communi de corporibus quaestioni, propter singularem de Transsubstantiatione, studuit, alter singulari propter communem quaestionem.

sed summi systematis vitalia tangit [1]. Inevitabilisne sit et necessaria ipsa quaestio, hoc sane non clare asseveravit Leibnitius ; quippe qui gravibus distractus negotiis et studiis et jam instante senecta mira quaedam impedimenta ex illo proposito forsitan oriri posse senserit. Quod ergo incertum reliquit, pro incerto ostendamus; quod vero certum, certum esse concludatur. Quae certa, ut opinor, haec sunt.

I. — Theologica disceptatio occasio tantum exstitit natae antea, amplioris et ulterioris difficultatis. Transsubstantiationem aperte rejicit Leibnitius, nec quidlibet Ecclesiae Romanae aut concedit aut concedere videri vult, ita ut fictam doctrinam alienamque fidem se inspicere dictitet. Nec minus manifestum est illum ab argumento de Eucharistia indagationem de substantiis compositis disjunxisse, et non Transsubstantiationem tantum sed cetera quoque supernaturalia spectasse mysteria, et Vincula potius philosophicae quam theologicae difficultati in dies aptavisse.

Seria ergo et mere philosophica est quaestio. Atqui solutio est *possibilis*, quin et *compossibilis*, immo etiam *probabilis*.

Etenim, re sedulius excussa, nulla intus oritur contradictio, nihil repugnat, nihil impedit quin fieri possit : quod quidem possibilium metaphysicum est signum. Essentiam habent Vincula.

Et cum, salva ceterorum dogmatum integritate [2], vincula admitti queant, jam non possibilia tantum sed et compossibilia dicenda sunt : nec sibi, nec datis repugnant. Sic apparet quantum inventa et discussa et satis comprobata solutio ipsi quaestioni prosit. Ita jam cohaerent sententiae (et essentiae) ut si ponantur substantiae corporeae, necesse sit vincula esse.

Atqui si possibilia et compossibilia sunt Vincula illa, jam verisimile et probabile est haec eadem revera subsistere; nam exigunt perfectiones divinae [3] potius esse plus quam minus substan-

1. « Altius aliquid in corporibus intelligendum : quodsi non praeparata mens in adyta illa ducatur, ubi inde ab originibus substantiae et corporis inexspectata plane natura prospici potest, verendum est ne caligo offundatur a nimia luce. » II, 195.

2. « Mea certe ita cohaerent inter se, ut nullus annulus, salva catena, avelli possit (II, 362). Mea principia talia sunt ut vix a se invicem divelli possint : qui unum bene novit, omnia novit » (II, 412). — Catena tamen haud quasi in orbem consisteret clauditur. Itaque, quamvis in serie sententiarum vinculorum doctrina nullum medium annulum constituat, non ideo negandum illam catenae adjungi posse. Immo vero, forte dicendum est Vinculis ipsis systema necti et tanquam circulum effici clausum.

3. « Linea sapientiae eo tendit ut perfectio maxima introducatur quam res

tiarum, nec temere admittendum est vacuum quoddam formarum (II, 500, 518; VI, 543).

II. — Num reapse sint substantiae compositae, hoc autem nusquam asseveravit Leibnitius; cujus vero haesitationis natura perspicienda est. Haud enim de possibilitate seu de convenientia et de momento rei agitur; sed de formali existentia. Aliud nempe nos de Leibnitii opinione [1] et longe aliud est illum de sua dubitavisse. In extremo philosophiae processu, Leibnitio occurrit bivium : tum illi idealismus satisfacere videtur, tantumque « inclinat » nec adhaeret [2]; tum sua ei Vincula placent, favetque nec omnino assentitur; ita tamen ut ista disceptatione utriusque explicationis requisita liquidius definiantur, et Leibnitiana placita aut hinc aut illinc radicitus ad summam discretionem perducantur. Ea saltem argumenti istius fuit utilitas, quod vel adversam solutionem, si anteponenda sit, ad severiorem formam redigeret. Utrinque vero nondum apparet sufficiens ratio, cur sit ita, nec aliter.

Nam cum de metaphysicis rebus agitur, multo gravius est existentiae probandae onus : idealium realis veritas et congruentia *a priori* logica quadam necessitate confirmari potest (et idealistae nihil ultra contendunt). Sed, ut ita dicam, realium realis existentia (quod sane « res non tantum realizare, sed substantializare » significat Leibnitius), aliud argumentandi genus postulat [3].

capit. Itaque si quae perfectiones sunt aliis compatibiles non omittentur. » « Dieu qui a voulu qu'il y eût plutôt plus que moins de substances... » Erdm., 130 a. « Cur infinitae actu Monades? respondeo ad hoc suffecturam earum possibilitatem, cum praestat quam ditissima esse opera Dei. » (II, 460.) — « Maxima verisimilitudine judicamus, nos non solos existere non tantum ex principio Divinae Sapientiae, sed etiam ex principio illo communi quod passim inculco, quod nihil fit sine ratione, nec ratio apparet, cur tot possibilibus aliis nos soli praeferamur. » II, 502.

1. Leibnitius tamen « meum » esse dictativit Vinculum, « illud Vinculum quod urgeo ». II, 511. — « Nondum video quomodo tale quid explicari possit, si differt a meo vinculo substantiali. » II, 504. — « Mea doctrina de substantia composita... » II, 511. — « Difficultates omnes meo explicandi modo cessant. » II, 518.

2. « Il y a même grand sujet de douter si Dieu a fait autre chose que des Monades ou des substances sans étendue, et si les corps sont autre chose que les phénomènes résultans de ces substances. Mon àmi (Leibniz) temoigne assés qu'il panche de ce côté-là. » VI, 590. Animadverte vero Leibnitium de ipso illo Dialogo dixisse : « Ce sont des Discours Exotériques, et nullement Acroamatiques. Ce n'est pas grand chose. » III, 645, 648.

3. « Ratione rerum judicamus nos non solos existere, quia nulla apparet privilegii pro uno ratio... Ratio datur privilegii existentium prae non existentibus, seu cur non omnia possibilia existant. » II, 517.

Solus nempe est Deus cujus demonstrata possibilitas realem et actualem et necessariam existentiam involvat; una enim necessaria substantia. Quidquid est, a ratione optimi pendet, scilicet a morali quadam necessitate quae ex libera et sapienti voluntate, non ex solo intellectu divino originem ducit; *dari* aut *exigi*, non *requiri* potest : idcirco haud mathematica deductione nec a priori vincula substantialia sat comprobari queunt; quippe rerum subsistentium ordo constituit libertatis regnum, id est metaphysicae convenientiae moralisque necessitatis, ratione pulcherrimi et optimi semper habita. Tria enim admodum diversa, etsi penitus congruentia, quodlibet probandi genera, triaque rerum et veritatum indicia : res quae sunt, aut *dari*, aut *requiri*, aut *exigi* possunt; dari nempe sensibus, requiri logica consequentia, exigi optimi ratione; dari phaenomena, requiri possibilia et necessaria, exigi existentia contingentiaque et libera.

Qua igitur vi demonstrare est, quidquid est, id revera esse? Vi sufficientis rationis. Duo nempe principia mentem et res, intellectum et voluntatem, possibilia et realia regunt : principium contradictionis repugnantia et impossibilia excludit, cohaerentiaque requirit; principium sufficientis rationis convenientia seligit et quam optima exigit. Cum, nihil quod est sufficientem rationem non habet; tum, nihil quod sufficientem rationem habet non est. Sic invicem a datis ad exacta, ab exactis ad data pergere est.

Ita enim ex mechanicis phaenomenis ad interiorem virium monadicarum conatum perceptionemque et appetitum processit Leibnitius : nam phaenomenorum sensibus deprehensorum nulla erat sufficiens explanatio et subsistens constitutio sine vi intus insita, sine monadum praesentia et actu. Ut « praeter corpus (physice notum) substantias necesse est dari [1] », ita praeter simplices, compositas.

Talisne fieri potest processus ab ipsis dynamicis monadibus ad superius aliquid, sine relatione seu respectu ad dimensiones, sensibus haud obnoxium, monadibus superadditum, ultra congruentiam essentiarum procedens? Quae igitur, ex analogia, Vinculorum ratio sufficiens agnosci posset? Duae quidem proponuntur : — α) altera theologica, ex fide revelata; — β) altera philosophica e metaphysicis rationibus pendens.

1. Cf. *L. Stein*, Leibniz und Spinoza. Beilage XIII, p. 332. Inedita Leibnitii.

α) Cum de rebus sensus fugientibus agatur, nullum fieri potest experimentum, nulla occurrit ratio facti. Dantur quodam modo et requiruntur et exiguntur monades : hic vero fide dari, quin et non dari nisi fide vincula Leibnitius nos docet (fides enim solum « argumentum est non apparentium »); et cum dari catholica fide vincula certum sit[1], christiano Romano certa ipsa esse existimat. Quamobrem lubentissime disceptationem, etsi metaphysicam, theologicis revinxit rationibus, quae ipsi philosophanti proderant, eo ferme modo quo mathematici, adhibita analysi, solutam quaestionem supponunt.

β) Quae non requiruntur, quae non dantur, exigunturne vincula ratione sola naturalique mentis humanae usu?

Sensit sane Leibnitius ipsam Monadum doctrinam, postquam mechanismi fontes penitus aperuerat, difficultates ex dynamica rerum constitutione ortas non omnino omnes solvisse; causarumque ipsas causas altioris indigere dispectionis. Nam si non satis explanari et « fundari » queant (haud jam phaenomena sensibus obnoxia), sed ipsae intellectu perceptae Monades sine alio quodam supposito, nonne licebit, nonne etiam oportebit ulterius aliquid adsciscere?

Atqui antea, quatenus ipsis Monadibus exigi videantur Vincula, ut monades phaenomenis, jam definitum est. Quemadmodum enim aggregata seu substantiata non possunt intellegi nisi per substantias simplices, ita forsan substantiae simplices, quamvis intellegi queant, non possunt « substantializari » si earum compositio haud sit substantialis ipsa. Quid ergo crediderit Leibnitius, illud fortasse sic definietur, quatĕnus compositae substantiae simplicibus prosint; et prout illa quaestio soluta erit, Vinculis suis illum plus minusve credidisse, nulla extrinsecus interposita alia cura, nobis existimandum.

1. Finiente tamen controversia, Leibnitius fassus est se « aliquando cogitasse quid uni ex vestris dicendum foret qui omnem substantiam compositam tollere vellet ». II, 520. Ad illud solum pertinuit quod *Kahle* adversus ipsa Vincula objecit. *Loc. cit.*, p. 28.

CAPUT SEXTUM

QUATENUS ILLUD DE VINCULIS ARGUMENTUM ADUMBRATA PHILOSOPHIAE RECENTIORIS SIT IMAGO

Doctrinam quidem a Leibnitio tantum inchoatam, nulla fictione quemquam ex libidine perficere decet; nobis saltem recentioribus adumbratam philosophiae novae imaginem quam sane immaturam noster distincte prospicere non valebat, paucis attendere liceat.

Cum de Unione metaphysica et de Vinculis Leibnitius, nec semel, vacillaverit, diutius dilata indagatione, suspicari est illum, instinctu quodam monitum, plurimas praemetuisse rei ambiguitates. Quamvis nos ipse moneat contradictiones quae oriri possent, quaestione magis excussa, removendas esse, fortasse majores majori studio occurrunt perplexitates. Nec tantum interrupta frequenter litterarum consuetudine, nec transversis Bossaei objectionibus, sed ipsius rei insolita implicatione sat explanari potest insolitus iste haerendi modus.

Gravia enim impedimenta undique obstant. Si Monades verae et reales sunt substantiae, num praeterea alius ordinis aliae exstant et verae et reales substantiae? et solam atque unicam realitatem asserturo, num optandum erit inter monadem et vinculum? Num a requisitis et unitis monadibus vincula sejungi queunt? num, solutis monadibus, separata supersunt integra? Num quod non requiri exigi potest? Num par substantiae nomen paresque vices et monadi dominanti et vinculo metaphysicae Unionis simul sunt attribuenda? Num monadibus perpetuo mutatis immutatum manet vinculum? Num hae novae substantiae compositae, sicut

ceterae, morte carent, immo semper et fuerunt et erunt? — Atque ex contrario haec etiam tecum reputa : Cum quaecumque exstant sint composita et organica, et cum sola composita nobis directo nota videantur esse, si compositio ipsa mera esset apparentia et mentale phaenomenon, nec substantiatum seu aggregatum ab una, vera et certa substantia composita differret, nec jam subsisteret ulla extra mentem realitas, quinimmo et mentis quoque, quippe quae organizationi cuidam semper inhaereat, in discrimen adduceretur substantialis veritas.

Haec et alia similia multa quibus non omnino satisfacere valuit Leibnitius, altius quoddam impedimentum praesignificant. Illi enim eaedem ferme occurrunt difficultates quas clarius dispexerunt Kantius [1] et alii recentiores philosophi : illinc « labyrinthi », hinc ἀντινόμιαι. Sin autem similes videntur esse ἀπόριαι, longe distant et solutiones et ipsa solvendi ratio.

I

Duos labyrinthos (VI, 29, 65, 612), expressis verbis, indicat Leibnitius, continui scilicet in infinitum divisi, libertatisque humanae in aeternum praedestinatae. Et cum apud eum omnia arcte cohaereant, quaestiones istae ad unam rediguntur superiorem. Utramque difficultatem ambarumque mutuam implicationem e re est breviter inspicere.

1° Extensio enim, quae est continuatio resistentis, discretis et infinitis monadibus constituitur; inextensa extensam massam praeparant; infinita finitum corpus generant; indeprehensibilia sensibus, mediante infinito, sensibus percipiuntur; et calculo infiniti, quantitatum relationes exprimunt meram qualitatum apparentiam. Sic igitur , sensuum experimentis faventibus et ipsa confirmante scientia, solvi videatur ἀντινομία prima.

Sed ipsum infinitum quidnam est illud? Hoc dictum infinitum symbolum quoddam est quod imaginationem superat , quo utitur intellectus, cui adest formalis rerum et ut ita dicam substantialis repraesentationum veritas : ita ut, medio isto signo,

1. Cf. Wilh. Bolin, Leibnitz ett förebud till Kant. (*Akademisk afhandling.* Helsingfors, 1864.) — Illam dissertationem inspicere non potui, neque hanc alteram : H. R. Geiger, Huru förhaller sig Leibnitz, metafysik till de första förutsättningarna för möjligheten af praktisk filosofi. (Upsala, 1876.)

phaenomenis realia, finitis quae definiri nequeunt, physicis mathematica et metaphysica congruant. Infinitum adhibere [1] naturaeque potiri [2] videntur mathematici; sed nihil aliud faciunt quam ut errorem negligant quovis assignabili minorem. (Cf. II, 305; IV, 569.) Rerum nempe datarum sensibus aut calculo propositarum finitus semper actualis ordo [3]; quippe omnis multitudo, quae discretis unitatibus singultim numerari potest, revera quoque temporis momento terminatur; numerus enim infinitus contradictio est formalis (VI, 90). Attamen interminabilem rerum seriem, et demensae cujusque rei immensitatem praesupponunt; adeo ut finitum tanquam infinitum et infinitum tanquam finitum mutuo habeant [4]. Quod enim innumerabilia et quamlibet distinctam imaginem exsuperantia rerum ingredientia continet et unit, illud unitatis et simul infiniti veri vim habet non divisi, non numerandi, nullis humani intellectus ratiocinationibus, nullis algebricis signis obnoxii. Totum et unum nempe id revera est quod vel divisum non frangatur. (Cf. III, 583 et 591.)

Duplex ergo unitatis, duplex infiniti notio. Illinc infinitum categorematicum est, et vere unum atque metaphysicum; hinc autem syncategorematicum tantummodo fit. Hinc non componi [5], illinc

1. « Cette Analyse est proprement « scientia de magnitudine quatenus involvit infinitum », et c'est ce qui arrive tousjours dans la nature qui porte par tout le caractère de son auteur. » III, 166.

2. « On est d'autant plus capable d'aller loin dans cette application, qu'on est plus capable de ménager la considération de l'infini. Ainsi quoique les méditations mathématiques soient idéales, cela ne diminue rien de leur utilité, parce que les choses actuelles ne sauroient s'écarter de leurs règles; et on peut dire en effet, que c'est en cela que consiste la réalité des phénomènes, qui les distingue des songes. » IV, 569.

3. « Nonobstant mon calcul infinitésimal, je n'admets point de véritable infini. » IV, 629. — Contra cf. II, 300. « Infinitum actu in natura dari non dubito. » Cf. V, 144, sq.

4. Chez moi les infinis ne sont pas des touts et les infiniment petits ne sont pas des grandeurs. Ma métaphysique les bannit de ses terres. Elle ne leur donne retraite que dans les espaces imaginaires du calcul géométrique, où ces notions ne sont de mise que comme les racines qu'on appelle imaginaires. » — Œuvres de Leibniz, publiées par *A. Foucher de Careil*, 1854, t. I, p. 234. Huic fictae unitati assimilat vincula *R. Zimmermann* : « Es ist wie wir an einem Orte nachgwiesen haben (Leibnitz und Herbart. S. 87) lediglich Schein der entsteht durch die verworrene ineinander fliessende Auffassung des Unendlichen von Seite eines endlichen Denkens und dem gar nichts Reales entspricht. » *Loc. cit.*, p. 41-42.

5. « D'où il suit qu'une ligne peut estre divisée à l'infini, qu'on y peut prendre des points sans nombre, et que cependant elle n'est point composée de points. » VII, 560.

non dividi potest unitas [1]. (Cf. II, 300.) Nec series infinitorum ad unitatem redit; nec totum in multitudinem partium abit [2]. Ingredientia, ut ita dicam, *unum per se* non ingrediuntur [3]; *unum per se* partes unit nec partium summa est [4]. Ex unitatibus infinitis nihil aliud quam Ens per aggregationem resultat; unitas vera [5] phaenomena fundat neque constituit, nec quidquam in apparentiis mutat. « In actualibus simplicia sunt anteriora aggregatis, in idealibus totum est prius parte. » (II, 379.) Illinc vero analysis contingentium seu existentiarum « a natura posterioribus ad natura priora » (III, 582) procedit in infinitum; hinc necessariorum seu essentiarum analysis terminari potest. Hinc synthesis essentiarum in infinitum vadit; terminaturque illinc realium compositio vivaque synthesis. « Non datur progressus in infinitum in rationibus universalium, datur in rationibus singularium : ideo singularia perfecte explicari a mente creata non possunt, quia infinitum involvunt. » (II, 300.)

Nec jam igitur de sola ratione cognoscendi, sed et de ratione essendi agitur. Consideratione enim infiniti, res calculo aptantur [6], quia indeprehensibilem realis multitudinis unitatem quasi comprehensam ducunt. Atque ita ad alterum labyrinthum introducimur : de congruentia determinatorum phaenomenorum intellectualisque necessitudinis cum rerum revera subsistentium et liberarum processu quaestio fit.

2° Quomodo convenire potest humana libertas cum praescientia

1. « Solum absolutum et indivisibile infinitum veram unitatem habet. » II, 305.

2. « Non dico corpus componi ex animabus neque animarum aggregato corpus constitui. » L. Stein, Leibniz und Spinoza. — Inedita, p. 325.

3. « Monades non sunt hujus additi (vinculi) ingredientia, sed requisita. » II, 435. — Cf. L. Stein, Inedita, p. 324. « Non ideo dicendum est substantiam indivisibilem ingredi compositionem corporis tanquam partem, sed potius tanquam requisitum internum essentiale. Sicut punctum licet non sit pars compositiva lineae, sed heterogeneum quiddam, tamen necessario requiritur, ut linea sit et intelligatur. »

4. « En supposant tous les points possibles, comme actuellement existans dans le tout (ce qu'il faudroit dire si ce tout estoit quelque chose de substantiel composé de tous ses ingrediens) on s'enfonce dans un labyrinthe inextricable. » VI, 612.

5. « Sumenda est non ex praedicamento quantitatis, sed ex praedicamento substantiae. » II, 372.

6. « Après la science de la félicité, c'est la Physique que nous devrions le plus étudier; et ce que j'estime le plus dans ma nouvelle Analyse de Géométrie, c'est qu'elle rend le passage de la Géométrie à la Physique bien plus aisé. » (III, 166.) — Insinuat enim analysis illa in finitas repraesentationis et calculi formas vim infiniti nempe et realitatis verae. (Cf. III, 507; IV, 569.)

quin et praedestinatione Dei optima semper decernentis; seu quatenus necessaria distant a contingentibus? Altior est Leibnitiana quam quae vulgo ab interpretibus ostenditur et difficultas et enodatio.

Haud enim satis est rationes indicari ad nos pertinentes quibus, nulla communi inter hominem et Deum data mensura, ordo successivorum totus ab integro simul aeternae visioni praesens sit, temporali vero cognitioni vicissim appareat. Nec tantummodo dicendum est illud vere liberum esse, quod Deus optimum vidit et elegit, ita ut, metaphysica adempta necessitate, sola maneret moralis necessitas (quae nihil nisi perfecta libertas existimanda est). Nec rursus satis esset si crederetur contingentia humanum, non divinum exsuperare calculum, necessariaque et libera, possibilia et realia quoad nos incommensurabilia esse, quoad Deum mechanismo quodam eminenti et metaphysica ratione componi atque produci : « Dum Deus calculat fit mundus. »

Namque ipso Deo teste et arbitro disparia manent contingentia et necessaria [1] : haud secundum quid, sed simpliciter et absolute differunt essentiae et substantiae. Quo fit ut duplex sit realium lex : lex scilicet necessitudinis, cujus gratia scientia visionis, solo adhibito contradictionis principio, possibilia et essentias connectit : lex electionis, cujus vi voluntas optimi substantiarum compagem constituit. In realibus enim solis congruunt essentiae cum substantiis, id est divinus intellectus cum numinis voluntate : quatenus realia essentiam habent, lege necessaria possibilium tenentur, calculoque sunt obnoxia [2]; quatenus autem substantiae sunt, radicitus contingentia manent [3].

Quemadmodum enim duo sunt necessariorum, ita et duo sunt contingentium genera. Sub specie logica consideratae, res actuales

1. « Les Idées ou Essences sont toutes fondées sur une nécessité indépendante de la sagesse, de la convenance et du choix; mais les existences en dépendent. » III, 592.

2. « Tout ce qui doit arriver à quelque personne est déjà compris virtuellement dans sa nature ou notion, comme les propriétés le sont dans la définition du cercle. La connexion ou consécution est de deux sortes, l'une est absolument nécessaire, dont le contraire implique contradiction... ; l'autre est contingente en elle-même, et cette connexion est fondée non pas sur les idées toutes pures et sur le simple entendement de Dieu, mais encore sur ses décrets libres et sur la suite de l'univers. » IV, 437.

3. « La suite des choses est toujours contingente, et un état ne suit point nécessairement d'un état précédent, soit qu'il y ait commencement ou non. La connexion de deux états est une consécution naturelle, mais non pas nécessaire. » III, 588.

sunt contingentes, cum contrarium quodvis contradictionem haud implicet; sed quatenus possibiles sunt, obnoxiae sunt necessariis connexionibus; sic igitur factum quodcumque est *logicum* quoddam *Contingens*, possibiliumque ordo regnum est idealis et logicae necessitatis. Sub specie morali consideratae, res actuales sunt necessariae [1], quia Dei est optimum semper elegisse et factum quodcumque est *morale* quoddam *Necessarium* [2], sed quatenus contraria possibilia sunt, nulla necessitate tenentur; realiumque ordo regnum est subsistentis et moralis libertatis : aeque dici potest aut sola possibilia aut sola realia esse aut necessaria aut contingentia. Duplex ergo et necessitatis et contingentiae notio, ita ut quae contingentia illinc, hinc necessaria exstent et ex contrario : sic concinentia in dissonantia fit [3].

Ex his igitur colligere est quae calculum transcendunt, ea tamen calculum admittere [4]. Utrumque dicendum est, et res omni mathematica ratione superiores esse, et res omnes mathematice fieri. Ipse gratiae ordo caritatisque divinae effusio leges « eminentis cujusdam mechanismi » (II, 503) observat [5]. Quo fit etiam ut, quae deduci et logice demonstrari nequeunt, talia tamen exstent et adeo ratione imbuantur ut nullam insolubilem objectionem admittant [6]; quippe quae, reservata subsistentiae quaestione, essentiam saltem habeant. Tunc rem, nec rei rationes sat est perspicere [7].

1. « Divina voluntas ab intellectu regulam accipit. » Leibn. ad Wolfium, 8 dec. 1705. (Briefwechsel zwischen Leibniz und Christian Wolf, *herausg. von* C. J. Gerhardt, Halle, 1860.)

2. « Tout ce qui existe, existe nécessairement pendant qu'il existe. » VI, 184.

3. « Ces ordres quadrent non seulement à ce qui est actuellement, mais encore à ce qui pourrait être mis à la place, comme les nombres sont indifférents à tout ce qui peut être *res numerata*. Cet enveloppement du possible avec l'Existent fait une continuité uniforme et indifférente à toute division. Et quoyque dans la nature il ne se trouve jamais des changements parfaitement uniformes, tels que demande l'idée que les Mathématiques nous donnent du mouvement, néantmoins les phénomènes actuels de la nature sont ménagés et doivent l'estre de telle sorte, qu'il ne se rencontre jamais rien, où la loy de la continuité, et toutes les autres règles les plus exactes des mathématiques soient violées. » IV, 568.

4. « Veritates contingentes infinita analysi indigent, quam solus Deus transire potest. Unde ab ipso solo a priori ac certe cognoscuntur. » (Erdm., n° XI, *De scientia universali.*)

5. « Incrementum caritatis novum, quod ipsa meretur caritas non est ejusdem cum ipsa dimensionis... quod repraesentaret curva cujus constructio penderet ex Logarithmis. » II, 344; III, 582.

6. « Est aliquid dicere quae refutari non posse videantur. » II, 187. Cf. VI, 52, 62, 64, 70, 75. Itaque objectiones semper solvi possunt. VI, 84, 88.

7. « Il nous suffit d'un certain ce que c'est (τί ἐστι); mais le comment (πῶς)

Sic igitur ut prioris, alterius labyrinthi patet exitus [1]. Actus nostri, utpote possibiles praescientiam calculumque admittunt et necessitudine tenentur; utpote reales, liberi exstant; quippe qui non a praescientia pendeant sed praescientia ab ipsis, solumque exigant optimi Dei decretum. Voluntas enim divina necessitate logica exempta est, et quaecumque decernit necessitate logica exempta sunt, cum ratione sufficienti nec jam sola compossibilium lege regantur. (Cf. IV, 578-580.) Itaque cujusque monadis processus non pendet ex universa optimi mundi conceptione, nec rursus illa totius harmonia, ex praedeterminatione cujusque substantiae simplicis. Pro toto, pro singulis solutio divina est perfecta, singularis et independens [2], ita ut quisque toti et totum cuique congruat, libertasque conveniat cum determinismo [3].

3° Reducta ergo difficultas : utrinque enim inter essentiam quae, divino intellectu concepta et posita, mente percipitur, et existentiam quae, decernente numinis voluntate, haud percepta, ratione tamen sufficienti asseritur, hiatus patet quidam. Quae enim noscuntur, et quae sunt, non sunt eadem, quamvis in realibus concurrant; nec uno eodemque modo vel producuntur vel asseverantur. Ratio essendi ratioque cognoscendi differre videntur; adeo ut quae percipiuntur, posita in lumine sint; quae affirmantur, fide asserta credantur (III, 415; VI, 75).

Quapropter haud sola possibilitatis consideratione utitur Leibnitius. Nam si cuncta fierent quae vicissim possent fieri, nulla jam esset Dei voluntas et sapientia. In hoc tota via erravit Cartesius [4] : « statuit enim, materiam omnes successive formas accipere, ita ut nihil tam absonum fingi possit, quin tandem aliquando aut alicubi in universo contingat, quod est haud dubie per conse-

nous passe... il nous suffit que la chose est ainsi, sans savoir le pourquoy que Dieu s'est réservé. » VI, 81.

1. « Ce nœud est autant que résolu; et si les hommes se donnent la gene là-dessus, c'est qu'ils manquent de bonnes definitions, et que par consequent ils ne remarquent point en quoy consiste la véritable difference entre le nécessaire et le contingent. Je voudrois qu'il fût aussi aisé de les délivrer de la fièvre maligne. » II, 569.

2. « Lorsque Dieu produit la chose il la produit comme un individu, et non pas comme un universel de Logique. » VI, 346.

3. « Sciendum est mentem non ab alio determinari, sed a se ipsa... Mens omnes suas operationes ex proprio suo fundo educit, licet ita ordinata sit ejus natura ab initio, ut operationis ejus cum ceterarum rerum omnium operationibus conspirent. » *L. Stein*, Leibniz und Spinoza. Inedita, p. 323. Cf. G. IV, 558.

4. Cf. IV, 285; 299; 314; 340; 344. — II, 563.

quentiam, omnem sapientiae et pulchritudinis rationem ne dicam providentiam tollere » (IV, 314). Diligentissime igitur distinguenda est possibilitatis et realitatis notio. Et ipsa compossibilium lex non ex intellectu tantum sed ex numine sapientissimi decreti sumenda est. Omnia quae rationalia sunt non sunt realia.

Scire igitur et credere, intellegi et esse, nosse et velle, si non dissideant, distare saltem videntur.

II

Quo autem modo Vinculum rem concludat et explicet, brevi considerandum. Namque si jam eadem illa quaestio orta est, quam distinctius proposuerunt recentiores philosophi, longe alia sane quae adumbrata fuit a Leibnitio solutio. Quaerenti nempe qua via continui difficultates effugi queant [1], quo pacto vitetur praedestinationis labyrinthus, qua ratione congruant quae revera differunt cognita et realia, constabit summum et solum superesse Leibnitianae philosophiae impedimentum quaenam sit in ipso Deo intellectus et voluntatis intima communitas : nec tantum (quod quidem jam antea quasi intrantem in portum removerat) de communicatione substantiarum, sed de convenientia essentiarum cum substantiis, cognitionis cum realitate verique cum optimo, agitur.

In creatis nempe et imperfectis essentia et existentia, scientia et substantia mutuo non sunt adaequatae. Quamobrem cuivis creaturae inest materia quaedam, omnibus quae in ipsa et in aliis confuse percipiuntur infinitique velut commistione conflata.

Atqui solus est Deus qui sit absoluta adaequatio mentis et rei, intellectus et voluntatis, scientiae et substantiae : cui nulla insita materia. Sapientia potentiae, sapientiae numen perfecte respondet proximo et perpetuo tanquam osculo. Etsi necessarie optima videt, optima libere eligit; etsi possibilia reali harmonia prospiciendo connectit, substantialia etiam decernendo stabilit et confulcit; etsi causarum efficientium seriem infinitam praedestinando consummat, causis finalibus volendo cuncta subdit.

Duplex igitur ontologici argumenti vis et facies; tum, analytica dispectione, definienda est Divina essentia internaque Necessariae

1. Herbart quidem (*Allgemeine Metaphysik*, I, 77) sensit Vincula non ad theologicam disceptationem, sed ad « difficultates continui » spectare. Quo verius dicatur, difficultates illas transcendunt atque abolent.

Notionis cohaerentia; tum, synthetica affirmatione, exigitur et asseveratur formalis perfecti Entis ratio, nam haec optimi ratio ipsa est Illius existentia. Et ut ipsa perfectae Essentiae possibilitas cetera cuncta possibilia continet eminenter, ita libera et aeterna illa perfecti Entis productio fons est ex quo sicut ex Oceano guttae nobis infunduntur.

Quod autem apud Deum osculum dici potest, apud creaturas fit vinculum, quasi isto nexu vinciretur duplex rerum ordo et exprimeretur divinae naturae triplex in simplicitate operatio. Fons enim utriusque ordinis Deus, fons scilicet harmoniae non jam physicae nec dynamicae tantum, sed moralis et metaphysicae [1]; adeo ut illis, quae tanquam realia noscenda sunt, respondeant intelligibiles et verae substantiae. Ideali monadum realium convenientiae consentit reale idealis harmoniae vinculum. Monas dominans et tota corporis organizatio essentiam exprimit substantiae compositae : cujus vero existentiam a voluntate numinis pendentem id constituit quod vinculum dicitur, haec est individua divisibilium unitas, vera et una multitudinis innumerae σύνθεσις, et solutorum indissolubilis Unio.

Sic ergo simplices et harmonizatae monades a parte divini intellectus, substantiae compositae et vincula potius a parte voluntatis, ficta quadam rerum distinctione, habenda sunt. Monades sunt essentiae realium non jam mere possibilium sed revera subsistentium; « Monades pertinent ad quantitatem » (II, 519), id est ad cognitionis ordinem. Realitas essentiae definiri potest idealis monadum consensus; essentia realitatis fit vinculum. Phaenomenorum consensio, perfectissima similitudine, unum et idem est atque ipsa substantiarum praesentia et cooperatio. Intelligibilis compositio, quae mente percipitur, rationem et fundamentum habet in substantiali Unione quae non repraesentatio mera nec mentis objectum, sed objecti asserti realitas ipsa est : ita ut quod intellectus analytico modo percipit tanquam multorum in uno expressionem, vinculum illud reapse synthetica praeditum sit existentia, tanquam unius in multis praesentia et actus. Nam efficax fit sub-

1. « Ce sont comme deux Règnes, l'un des causes efficientes, l'autre des finales, dont chacun suffit à part dans le détail pour rendre raison de tout comme si l'autre n'existoit pas; mais l'un ne suffit pas sans l'autre dans le général de leur origine, car ils émanent d'une source, où la puissance qui fait les causes efficientes, et la sagesse, qui règle les finales, se trouvent réunies. » VI, 542. — « Les harmonies... » IV, 578. — Cf. VI, 107.

stantiarum invicem operatio secundum metaphysicam finalium causarum subordinationem [1].

Quo fit ut, quamvis radicitus differant [2], tamen in unum et idem conveniant et realia et cognita. Dupliciter fundata corpora organica, infra, ut ita dicam, in monadibus; supra, in vinculo; alioqui nulla esset alia compositi quatenus compositi realitas nisi mera idealium possibilitas.

Duo igitur exstandi, duo relationum genera : cui discrimini respondet notata discretio « realizandi et substantializandi, exigendi et requirendi » [3]. Sub specie cognitionis considerata quaecumque revera sunt, monadibus monadumque ideali compositione analytice constituuntur, et *a priori* secundum ordinem causarum efficientium cognosci queunt [4]. Sub specie existentiae considerata quaecumque nobis sunt nota, unione quadam metaphysica et vinculo synthetico conflantur; et *a posteriori* secundum ordinem causarum finalium, ratione optimi decernuntur, toto prius partibus considerato. Adeo ut σύνθεσις ipsa nullo modo reduci possit ad ingredientia, totumque a partium summa prorsus differat, sed ita tamen ut inter ea quae ad invicem reduci nequeant perfectissima sit congruentia; quippe quae, humana quidem superior ratione, altius et μυστηριωδῶς fundetur in absoluta divinae essentiae et substantiae consensione [5].

Ex his ergo aeque dici potest et cuncta esse simplicia [6] (cum nullus certus reperiatur modus composita definiendi), et cuncta esse composita (cum natura ubique « organizationem affectet)» ; — aeque dicendum et compositionem substantiarum merum esse phaenomenon (cum omnia quae percipiuntur ad monadum

1. « On peut dire que dans l'intention de Dieu et dans l'ordre des causes finales une substance dépend de l'autre, Dieu ayant eu égard à l'une en produisant l'autre, quoyque, selon l'influence physique ou dans l'ordre des causes efficientes, l'une ait aussi peu de dépendance de l'autre, que si elle estoit seule au monde avec Dieu. » IV, 578. — Cf. VI, 45.

2. « L'entendement divin fait la réalité des vérités éternelles quoyque sa volonté n'y ait point de part. » VI, 226.

3. « Substantiam compositam statuerem dependere a monadibus non dependentia logica, sed tantum naturali, nempe ut exigat illa unire in substantiam compositam, nisi Deus aliter velit. » II, 458.

4. « Celuy qui prouve une chose *a priori* en rend raison par la cause efficiente. » VI, 83.

5. « Sufficit Unionem corresponsioni esse alligatam.... Ultra distincte explicare non possum. » II, 371.

6. « Le composé n'est autre chose qu'un amas, ou *aggregatum* des simples. » (Monadologie, § 3.)

phaenomena reduci queant), et vincula compositorum substantialia esse (cum revera σύνθεσις ipsa vera sit realitas); — aeque etiam, et essentias idealem substantiarum rationem reddere, et substantias essentiarum ipsarum reale fundamentum esse; — aeque, et analysin per calculum quemdam eminentem cuncta posse solvere, et synthesin solam realibus convenienter satisfacere. Analytica sane et synthetica cogitandi ratio prorsus dissimiles, sed eodem modo quo dissimiles sunt divina essentia et voluntas : in possibilibus dispares, in realibus adaequatae. Atqui quae ab optimi ratione et a divina pendent voluntate, substantialia sunt et vere operantur [1] ; quae intellectu praedeterminantur idealem tantum habent realitatem. Hinc colligere est veram substantiam et efficacem operationem potius ad voluntatis bonique ordinem quam ad intellectum et verum pertinere [2], quamvis utrinque perfecta fiat cohaerentia. Ita ut omnium quae exstant ultima causa et sola sufficiens sit optimi ratio, ultimum principium sit sapientissimi Dei voluntas, ultimus essentiarum finis et causa sit existentia perfecti Entis [3]. Hunc scilicet perfectionis ordinem, hanc optimi rationem, hanc moralem necessitatem, hoc caritatis decretum exprimunt et effingunt vincula substantialia.

Illam sane litigiosae doctrinae interpretationem uberiori explicatione adauxi, propriis equidem Leibnitianis verbis usus, nec animo fortasse nimium infidelis. Haud enim supervacaneum erat, ut parum perspecta sententia justum suum locum recuperaret, rem paululum torquere; quo liquidius constaret sic inchoatum fuisse novum quemdam philosophiae illius perennis quam semper ditare noster cupivit, processum. « Philosophumque agere est » ulteriorem excogitare explicationis modum.

1. « Les effets de Dieu sont subsistants. » (*Erdm.*, p. 182 b.)

2. « Les perceptions qui expriment les loix du mouvement sont aussi liées que ces loix, qu'elles expriment selon l'ordre des causes efficientes. Mais l'ordre des perceptions volontaires, qui est celuy des causes finales, est conforme à la nature de la volonté. » (IV, p. 580.) Talia sane maximi sunt momenti, cum solitam Leibnitiani « Intellectualismi » interpretationem invertant.

3. « Rien ne peut mieux monstrer que mon systeme, le besoin et la nécessité de l'existence d'un auteur infiniment puissant et sage, puisqu'il faut cela pour préétablir les harmonies : ce qui est un nouveau moyen invincible de prouver l'existence de Dieu. » IV, 578. Animadverte hoc pluraliter dictum : « *les* harmonies ». Duplex enim et praepostere reciprocus ordo finalium et efficacium, ordo efficientum et idealium causarum. Efficientia tantum intelligibilis; finalitas, realis et operans nexus fit. Cf. IV, 578, 580.

Quidquid id est, Vinculorum doctrina cum altioribus Leibnitiani systematis partibus connectitur; etiamsi rejicienda esset, ea tamen utilis fuisset ad definiendum severius quem vocant Leibnitii *idealismum*. Nam « vinculis remotis, monades ne situm quidem habent, extensioque ipsa nihil foret nisi phaenomenon resultans ex apparentiis simultaneis coordinatis », id est mentalis mentalium constructio; et « eo ipso omnes controversiae de compositione continui cessarent »[1] (II, 517). Quae est ipsa primae antinomiae Kantiana solutio. Adde quod, « si solae monades sint substantiae » (nec dicit sunt), corpora et composita, seu organica quaecumque, mera esse phaenomena erunt dicenda; rerumque veritas in hoc solo consisteret ut, nemine etiam existenti praeter percipientem, phaenomena consentirent inter se, neque deciperemur eventibus vel fictis, sed consequenter fictis. Quamobrem alterutrum necessarium esset, aut nihil esse praeter monadicam harmoniam, aut quod revera subsistit nihil pertinere ad repraesentationes monadumque perceptiones : ita ut aut suppressa esset originaria existentiae realitas aut nulla esset relatio inter φαινόμενα et νοούμενα : illinc unitas sine diversitate, hinc dualitas sine communicatione; et in Deo aut solus intellectus, aut ab intellectu separata voluntas exstare videretur.

Vinculis autem admissis servatur dualitas, servatur unitas; conciliianturque et divinae invicem perfectiones, et humanae mentis mutuo facultates, et rerum vices. Tum enim « continuitas realis non nisi a vinculo substantiali oriri potest » (II, 517), tum « Vinculum illud nihil in perceptionibus mutat, nec monadum modificatio est » (ibid.). Quid hoc sibi velit? vinculum scilicet, cum non percipiatur, perceptionum tamen formale est fundamentum; sensuumque phaenomenis et mentis repraesentationibus substernit et addit novum illud, quod apparentiis substratum congruum, assertioni mentis nostrae objectum formale, divinaeque voluntati usum proprium creantemque praestat.

Multorum igitur interpretum errores ex eo manant quod, vi verbi decepti, vinculum existimant esse velut summam et congeriem monadum; quasi vinculum foret illud physicum quod « massae phaenomenon » vocat, aut quod semimentale substantiatum dicitur. (II, 439.) At « Substantia composita non consistit for-

1. « Difficultates de compositione continui admonere nos debent, res longe aliter esse conspiciendas » (II, 451 ; 517).

maliter in monadibus » (II, 517); tota alia est, et tota simul ordini rerum quem transcendit praesens fit; ita ut, si (quemadmodum Kantio placuit) occulta rerum subsistentia sub specie *obligationis* moraliter appareat, *vinculum* tamen praeterea naturae phaenomena mentalesque repraesentationes ad metaphysicam suppositi vim substantialemque unionem religet. « Unio corresponsioni alligata est. » *Vinculum* ergo verissime ille nexus dici potest : non tantum operans fit multorum unitas, sed illius vi principium contradictionis cum lege optima rationis sufficientis, mentis usum *a priori* et analyticum cum cognitione *a posteriori* et synthetica, harmoniam praestabilitam et idealem cum reali et efficaci substantiarum unione, causarumque efficientium imperium cum regno finalium coalescat.

CONCLUSIO

Jam ergo constare videtur doctrinam a Leibnitio de Vinculis propositam nullum fuisse lusum ingenii, nullam soli Eucharisticae Transsubstantiationi vel sacerdotis Jesuitae fidei adaptationem, nullam ceterorum dogmatum deformationem, nullam exotericam fictionem. Solita Leibnitiana placita non tollit, sed, admissa, augeret. Spectat non ad mysteria fidei praecipue, verum ad metaphysicam de compositorum substantialitate, quin et de rerum subsistentia formali dubitationem. Quod quidem parum intellexit Bossaeus, parum fortasse indicavit Leibnitius, satis tamen ut nulla maneat haerendi causa.

Si admittendae sint (et admitti profecto possunt) substantiae compositae corporumque organicorum vera realitas, ipso facto ponenda sunt vincula [1]. Quatenus autem revera exstent compositae substantiae, de hoc primum dubitare licuit.

Re tamen sedulius perspecta, jam ad summum haec comprobari possunt. Absint, adsint Vincula, nihil in phaenomenis, quin etiam nihil in monadibus mutatur; res enim ordinis alius est, altiorisque indiget indaginis. Proposita quidem fide catholica, necessario dantur Vincula; attamen ex ipsa monadum consideratione, philosophice (nec jam theologice) exigi videntur. Qua autem ratione

1. « Ex solo postulato quod phaenomena habeant realitatem extra percipiens, videtur tunc demonstrari posse Philosophia peripatetica emendata. » II, 511. Emendata dici potest, cum, Monadum gratia, naturae investigatio exactissimam scientiae formam admittat.

vinculum ipsum compositam substantiam « realizare vel potius substantializare » queat, illud sane eo dignius animadversione quod ipsa solutione quaestio confirmari possit.

Quidnam enim illud est, compositionem ipsam substantialem haberi? Neque physico scilicet aggregato, neque intelligibili partium convenientiae illud est credere tantummodo, sed metaphysicae cuidam formae, quae, quamvis omnino differat a perceptis phaenomenis, realitatem saltem phaenomenorum constituat : quamobrem dici potest non gratuita ex libidine, sed viva et fida imagine in percipientibus perceptionum ipsas causas exprimi atque tanquam projici. (IV, 576. Cf. VI, 316, 327, 403-404.) Quemadmodum senescens Plato, simili et ultimo dialecticae processu, ab Idearum regione ad αἴσθητα redire fortasse tentaverat, ita Leibnitius, inventis in primitiva vi monadibus insita mechanismi principiis, ipsos dynamicae harmoniae fontes superius eliciendos, phaenomenorumque ad idealem naturam primo reductorum et jam bene, ut dixit, fundatorum realitatem firmius esse stabiliendam duxisse videtur, nullo quidem sensibus restituto vel aucto arbitrio, sed sensuum comprobatis perfectius testimoniis.

Ex his extemplo ampliorem oriri investigationem senties. Prima fuerat ἀπορία, quo pacto inter se communicent monades : altera fit nova et altior, qua scilicet harmonia perceptorum essentia cum existentia assertorum conveniat. Atqui haec funditus distinguenda et simul omnino esse assimilanda notatione perdignum est.

— Distinguenda enim sunt : namque perfecta cognitio et numeris absoluta demonstratio haud longius procedit quam ut comprobetur *a priori* rerum possibilitas. (IV, 577.) Veritas in phaenomenis solis et in sola phaenomenorum harmonia consistit [1].

— Assimilanda autem omnino sunt, cum substantiarum vinculum, prospiciente et decernente simul Deo, exactissime essentiarum convenientiam effingat (IV, 576; VI, 542). Quod analytice

1. « Potest dici Entia composita, quae non sunt unum per se, seu vinculo substantiali (sive ut Alfenus ICtus in digestis more Stoicorum loquitur) uno spiritu non continentur, esse semientia; aggregata substantiarum simplicium esse semisubstantias; colores, odores, esse semiaccidentia. Haec omnia, si solae essent monades sine vinculis substantialibus, forent mera phaenomena, etsi vera. » II, 504. — De Vinculo et Stoicorum spiritu, cf. *O. Caspari*, *loc. cit.*, p. 312.

menti proponitur, synthetice decretoriae adest assensioni. Sic ante multos annos, expediri videtur insigne illud et recentius πρόβλημα de judiciis syntheticis experimenta excedentibus Nam apud Leibnitium experimenta ipsa altius aliquid significant, utramque vim habentia et compossibilium a Deo deductorum et realium a Deo productorum; veritatemque *a priori* cum existentia *a posteriori* conciliant; ita ut synthetica assensio reapse metaphysicam rerum naturam deprehendat.

Nemo igitur uno eodemque tempore tam realista esse videtur quam Leibnitius, cum ipsis percipientium perceptionibus perceptas res assimilet et adaequet; nemo tam idealista, cum perfecta rerum scientia nunquam ultra demonstrationem possibilitatis *a priori* et convenientiae procedat. Quaecumque exstant quin et exstare queunt, perfecte possunt nosci [1]; attamen nulli demonstrationi obnoxia fit existentia quaelibet, resque radicitus contingentes manent; ita ut vere individuum omne sit ineffabile, nullaque fiat realium deductio. Nec minus acute et nove definitum est intellectus et voluntatis in asseveratione commercium, fideique et scientiae concursus : affirmando creditur [2], credendo affirmatur [3]; velle subsistentia et contingentia, intellegere, essentias et necessaria affectat, ea vero ratione ut, utrinque extraneum nec invicem dependens, alterum tamen in alterius natura inhaereat [4].

Ubi autem tam diversae lineae committuntur *vinculum* est, invisibilis nempe visibilium substantia, phaenomenorum reale fundamentum, formalis idealium veritas, analyticae multitudinis unitas synthetica, intellectuique objectum requirenti, et voluntati suppositum exigenti scopus communis. Radicitus ergo veritas et realitas differunt et congruunt.

1, « Les vérités générales qui ne dépendent point des faits sont pourtant la clef de la science qui juge les faits. » VI, 605.

2. « Ce raisonnement est bon; il ne donne pas proprement une croïance, mais il oblige d'agir suivant les préceptes de la croïance; car on n'a pas la croiance quand on veut, mais on agit comme l'on veut. » III, 415.

3. « J'appelle voir icy, ce qu'on connaît *a priori* par les causes; et croire, ce qu'on ne juge que par les effects, quoyque l'un soit aussi certainement connu que l'autre, car la sagesse infinie de Dieu nous étant connue, nous jugeons que les maux que nous expérimentons devoient être permis, et nous le jugeons par l'effect même ou *a posteriori*, c'est-à-dire parce qu'ils existent. » VI, 75. Cf. *ibid.*, 70. — Cf. IV, 361.

4. « Les perceptions qui expriment les lois du mouvement sont aussi liées que ces lois, qu'elles expriment selon l'ordre des causes efficientes. Mais l'ordre des perceptions volontaires, qui est celuy des causes finales, est conforme à la nature de la volonté. » IV, 580.

Totius illius Leibnitianae, haud edolatae quidem, doctrinae duo esse poli videntur et divinae essentiae substantiaeque communio et corporis organici idealis formalisque simul constitutio : Deus nempe cuncta religat atque vincit; in corpore organico cuncta religantur atque vinciuntur, « ita ut duae diversissimae series in eadem substantia corporea sese referant, ac perfecte consentiant inter se » (IV, 391). Physica enim et metaphysica, essentia et substantia, cognitio a priori et assertio a posteriori, consensus causarum efficientium necessarius cum libera finalium subordinatione et operatione, perfecte Vinculo cohaerere videntur.

Quae cum ita sint, nec penitus « Substantialis illius Vinculi » rationem perspexit, qui non intellexit illam Leibnitiani systematis vitalia tetigisse; nec fortasse totam Leibnitianae philosophiae disciplinam mente complexus est et interiora funditus exploravit, qui litigiosam istam Vinculorum doctrinam, etiamsi inchoatam, suspensam et incertam, parum percepit.

APPENDICES

APPENDIX A

I. — Fragmentum Epistulae a cel. D. Christoph. Matthaeo Pfaffio cancellario Tubingensi et Abbate Laureacensi ad doctissimum quemdam Virum perscriptae. (*Acta Eruditorum*. Lipsiae. Mense Martii, A. 1728, p. 125.)

« *De litteris Leibnitianis* ante hos fere duodecim annos (Hannoverae, 2 maii 1716) ad me datis, quas in Diss. *Anti-Baeliana* III et in schediasmate De Morte naturali allegavi, dubitari num existant quod ad calcem *Institutionum Juris Ecclesiastici* non essent editae, id quidem non minus miror quam si quis causaretur, me Orationem *de Silentio Theologico* in promotione Weismanniana habitam haud recitasse, quod nec illa ibidem cusa fuerit... Quod vero *litteras* illas *Leibnitianas*, de quibus scribis, attinet, eas hanc ob causam publici nondum feci juris, quod Philosophis illis subtilissimis, qui novum illud philosophandi genus sectantur, in lite illa sua, cui impliciti sunt, nolo esse gravis, meque, qui olim ante motas has controversias, *Dissertationes Anti-Leibnitianas* scripturus eram, pugnae isti, et acerbae quidem, immiscere, idque eo minus, quod adhuc antiqua illa animo meo sententia sedet, quam ad *Leibnitium* perscripsi olim, et quam ille, vir sane judiciosissimus, pro ea quam in litteris ad me datis semper testatam fecit, animi sinceritate, prorsus approbavit. — Rogaverat abs me Vir illustris, quid de *Theodicaea* sentirem methodoque illa qua Baelium refutasset? Scripsi « existimare me quod animi saltem causa illud Philosophiae confinxerit Systema, et, quemadmodum *Clericus*, Baelium refutaturus, Origenistam simulaverat, ita et ipse novam hanc philosophandi viam inierit ad refutandum Baelium, quae quidem, licet pulverem saltem oculis eorum qui et altum alias haud videant injiciat, tamen eo ingeniosior sit, quod probe perspecta, et sententiam Baelii crassiorem sub specie refutationis potius

modo subtiliore, mysterio tamen non illico detegendo firmet, et diversis quoque dissidentium Religionum Systematis opinionibusque, alias vix defendendis, incrustandis, favorique adeo et Theologorum omnium fere partium, maxime nostratium aucupando, sit applicabilis; praeoptare vero me ut Baelii tam periculosa sententia serio, solide et graviter refutetur. Quid quaeso ad haec respondit Leibnitius quem credideram mihi, ob ingenuam responsionem indignaturum? « Ita », autem ille in literis *Hannovera*, A. 1716 d. II. Maji ad me datis (do vero verba viri formalia, licet brevissima, reliqua enim epistolae, quae hoc negotium non tangunt, addere non convenit). « Ita prorsus est, Vir summe reverende, uti scribis, « de Theodicaea mea. Rem acu tetigisti. Et miror neminem hactenus fuisse, « qui lusum hunc meum senserit. Neque enim philosophorum est rem « serio semper agere, qui, in fingendis hypothesibus, uti bene mones, « ingenii sui vires experiuntur. Tu, qui Theologus es, in refutandis erro- « ribus Theologum ages ». Haec *Leibnitius*, haec illa *epistolae* verba quae nosse cupiunt Viri eruditi et quae ipsorum curiositati haud invideo. Recensui illa aliquando *Bulffingero* nostro, qui putabat jam vero haec ipsa Leibnitium seria mente haud scripsisse [1]; quae qui caussari voluerit, is quidem per me suo sensu abundabit. Ego e contrario persuasissimus sum certissimusque etiam varia Religionis nostrae placita in Theodicaea Leibnitium defendisse, quae risit alias et naso adunco suspendit, e. g. dogma de praesentia reali. Norunt mentem viri aulici et philosophi ipsiusque circa religionem sententias quibus virum penitius nosse contigit. Sed de his quidem satis jam. Miror saltem tot esse qui haec principia serio et tanto quidem cum conatu defendant. »

II. — Cf. Dissert. Anti-Bailianam, III, 9. « Is vero, qui ante omnes alios memorandus hic nobis venit, est Philosophus hujus saeculi celeberrimus Godefridus Gulielmus Leibnitius, qui Amstel. 1710 edidit librum Gallicum quem nuncupavit Essays de Théodicée.. cum tribus appendicibus.... Jam vero sententiam Leibnitianam quae ad mundum perfectissimum, malum quoque requirit, et a Firmiano Lactantio dudum defensitata fuit, ponderanti facile patebit, eam cogitata Bailii sic potius adstruere quam destruere, saltem tolerabilia reddere, id quod et Poiretus observavit, et fassus nobis aliquando in litteris ad nos datis est ipsemet Leibnitius. Vide omnino, quae in Primitiis Tubingensibus, P. 2, p. 53, 246, 247, hanc in rem diximus, et adde quoque G. C. Knoerrii diss. de origine mali sub praesidio celeberrimi Budæi habitam. »

III. — « Bayle ne doutait point que le système du christianisme ne fût faux, puisqu'il était contraire aux notions communes, comme il le soutenait... On parle aussi de ses adversaires, et entre autres de feu M. Leibniz qu'on assure avoir été dans le sentiment de M. Bayle, quoiqu'il voulût paraître l'attaquer, dans son livre intitulé : Théodicée... J'avoue que j'en avais jugé de même, et que c'est ce qui m'a empêché

1. « Patet ex his, operam omnino eos ludere, qui praesentiam realem intellectui nostro comprehensibilem reddere voluerint. » *Pfaff*. Fragm. Iren. Anecd., p. 468.

de parler du livre de ce grand Mathématicien pour ne pas paraître chercher des querelles sur cette matière et pour ne pas non plus dissimuler dans une chose si grave. Aussi M. Pfaff dit-il que M. Leibniz lui avait avoué dans une lettre que son sentiment pouvait plutôt faire paraître celui de M. Bayle tolérable que le détruire. » (Bibliothèque ancienne et moderne, par Jean Le Clerc, 1721. Amsterdam, in-12°, t. XV, 1re partie, VII, p. 179.)

IV. — Acta Eruditorum, A. 1728, p. 550.

Chr. W. (*Wolfii*) monitum de sua Philosophandi ratione.

... « Cumque non ad ostentationem sed utilitatem philosophari me jam monueram.... quamobrem me parum moveat quod Vir quidam doctus in his Actis asseruerit, *Leibnitium* fuisse confessum, quemadmodum ipsi videtur, serio omnia quae de rebus Metaphysicis in Theodicaea tradidit, esse lusum ingenii. Sint enim *Leibnitio* lusus ingenii verba quae ab eodem adopto : aut igitur alium eisdem tribuit, quam ego, sensum, aut si eundem tribuit, ludendo dicit verum. Sufficit mihi si profunda videam atque adeo ad intimas rerum notiones penetrem... »

V. — Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres dans la république des Lettres (P. Nicéron). Paris, 1727-30.

« La Reine de Prusse engagea M. de Leibnits à répondre aux difficultez de M. Bayle, et il entreprit ce livre dans ce dessein, du moins en apparence; car M. Pfaff assure dans un de ses ouvrages que M. de Leibnits a été du sentiment de M. Bayle quoiqu'il voulût paroître l'attaquer et que ce sçavant le lui a avoué lui-même dans une de ses lettres; M. le Clerc avoue qu'il en a toujours jugé de même ». Tome II, p. 85, 1727.

« Le R. P. Tournemine, jésuite, assure que ce que M. *Pfaff* et M. *Le Clerc* ont avancé au sujet de la *Théodicée* de M. de Leibnits est faux, et que ce sçavant lui avait écrit que ce livre contenait ses véritables sentiments. » Tome X, p. 77, 1730.

APPENDIX B

Acta Eruditorum, publicata Lipsiae. (Ch. M. Pfaffii παλινωδία. Calendis Augusti, Anno 1715, p. 376.)

Vir Celeberrimus, Christianus Matthaeus Pfaffius suis Irenaei Fragmentis nuper editis, de quibus dicemus, cum primum ad nos pervenerint, adjecit Dissertationem de consecratione Eucharistica, ibi, p. 459, 466, quaedam in Dissertatione de Consensu Fidei et Rationis, laudatissimo a nobis operi Theodicaeae praemisso, sibi displicere notavit : sed nunc gratum sibi fore testatus est, si publice significemus, melius edoctum

esse de mente Illustris Autoris, qui operationis immediatae comparatione utatur, ita ut veram praesentiam corporis et sanguinis Domini in Sacramento Eucharistiae non excludat, et *unionem* inter rem coelestem et terrestrem negando, non neget earum *conjunctionem* in actu perceptionis, in qua consistit unio sacramentalis nostrorum Theologorum, sed tantum rejiciat vinculum quoddam seu tertium rebus superadditum, quod per unionem saepe intelligunt Philosophi, tanquam modificationem res uniendas connectentem, sive localem inclusionis aut adhaesionis, sive hypostaticam, qualis est animae et corporis, verbi et humanitatis, sive aliam his analogam, quoniam hoc foret Entia multiplicare praeter necessitatem et in perplexitates Philosophicas sese induere, et fortasse conjunctionem ultra actum perceptionis extendere, cum sine ullo alio rebus supperaddito sufficiat divina institutio ad conjunctionem efficiendam, ut rem terrestrem sumentes simul coelestis verissime participes fiamus. »

APPENDIX C

Alia inedita quaedam Bossaei epistula, adjunctis Ptolemaei S.-J. litteris, reperta est in bibliotheca regia Hannoverensi.

Illustrissime Vir, Patrone colendissime,

Jam dudum reditum Tuum avide praestolabar : nunc ex litteris Tuis 8 Julii scriptis sed primum nudiustertius mihi traditis salvum Te Hannoveram advenisse demum intelligo et serio laetor; mirabar quid Te Berolini detineret, cum ex novis litterariis Diario Parisiensi insertis didicissem quod Academiae istius praesidiatu abdicasses eoque munere jam fungeretur Baro de Printz.

Quod mihi arbitrium defers in tua cum Hartsoeckero controversia, facis Tu quidem benevole sed nimium mihi tutius : non nostrum inter vos tantas componere lites, et vereor, ut tali arbitro stare velit clarissimus Tuus adversarius, cui rogatus non ita quidem difficultates nonnullas objeci, ex quibus me Tecum facere facile judicabit. Caeterum litteras ad ipsum et P. Orbanum Tuas hodie curavi Dusseldorpium.

Quae de morali necessitate deque arctissima Deum inter et creaturam unione respondes, plane mihi satisfaciunt. Quomodo Adamus initio majorem quidem inclinationem ad malum quam bonum non habuerit, cum creabatur, sed tunc tantum, cum praeceptum urgebat et peccatum instabat, necdum plene percipio. Unde enim illa inclinationis alteratio, an a Deo naturae et gratiae autore? at hominem fecit initio rectum! an ab Adamo ipso? at instante peccato necdum culpam admisisse intelligebatur. Cum quis eliget hoc modo, videtur contradictionem implicare, si eligeret alio modo, etiamsi rationes determinantes ex se non necessitent, quia aliunde implicat contradictionem, voluntatem per rationes oppositas ut pote inefficacius propositas determinari, ut ipse statuis.

Theodicaeam tuam accepit Ptolemaeus, de quo quid ipse sentiat ex ejus litteris adjunctis lubentius intelliges.

Pervenit ad nos liber, cui titulus : « Observationes mathematicae et physicae factae a Patre Francisco Noel ab anno 1684 ad annum 1708 in lucem datae Pragae anno 1710. » Autorem, nisi consilium mutaverit, septembri mense hic videbimus. Si liber Tibi visus non est (et facile Praga Lipsiam deferri potuit) exemplar quod habeo Tibi mittam. Vale, Vir illustrissime et mihi Tui studiosissimo bene velle perge. Dabam Coloniae Agrippinae 18 Augusti 1711.

Illustrissimae Dominationi tuae devotissimus cliens.

BARTHOLOMAEUS DES BOSSES.

P.-S. Quod de creatura perfectissima objicere videtur Ptolemaeus, id ego jam ante tetigeram et Tu abunde solvisse mihi videbaris.

II. — Epistula Joannis Baptistae Ptolemaei ad Bartholomaeum des Bosses.

Legi quantum per occupationes licuit librum amicissimi Leibnitii ac nisi temporis angustiae prohiberent, ad eundem recta scriberem cum gratiarum actione non uno ex capite illi a me debita cumque gratulatione, approbatione, consensione secum mea in omnibus fere saltem praecipuis, certe substantialibus absolutissimi speciminis partibus. In mentem venerunt plurima inter legendum, quibus chartas non paucas facile implerem, si tempus sineret. Bina illa principia, quibus opus nititur : de Dei libertate ad optimum rerum universitatis systema deque libertate quacumque ad melius ex propositis mixtis malo bonis determinata sive ex morali necessitate sive ex analoga quadam determinatione ad necessitatem talem (nam haec utpote in necessitate consistens Deum dedecet) : nullatenus efficere ipsi libertati indifferentiae (quam aequilibris nolim esse) : jam diu est quod persuasissimum habeo. Sed adhuc evidentiora et omnibus passim nedum plerisque sapientibus concessa aut concedenda principia statui posse reor, quibus sive demonstratio sive responsio plane demonstrativa inaedificetur adversus accusatores divinae providentiae. Puto : possibile esse unum systema mundi peccata ac mala complexum (qualia in praesente hoc mundo contingunt) longe tamen melius altero item possibili systemate solas innocentes creaturas comprehendente, quidquid sit utrum systema omnium perfectissimum possibile sit uti creatura perfectissima, idemque peccatis malisque confertum esse possit. Jam vero Deus possibile illud melius prae altero elegerit infinitae bonitatis suae inclinatione ad melius. Hoc posito, cui nemo rerum harum peritus repugnaverit, clarius et evidentius uti reor cuncta illa deduci possunt quae ex dato systemate mundi omnium perfectissimo deducuntur, sed de his hactenus.

Dominum Leibnitium verbis meis salutatum meque ei commendatum impense cupio, cui viro certe summo optima quaeque quotidie in sacris precor ac praecipue unum illud necessarium, quod illi in tanta litteratura probitate et ingenuitate deesse videtur quoque per vestigia Serenissimi Principis sui Volfenbuttelani secure et fauste etiamque gloriose pervenire potest.

Ad illa de Patre Speio deque Charitate extra ecclesiam, quorum iterato

me monet Leibnitius in litteris ad Te datis, haec adnotare habeo : Extra ecclesiam *excusationes* ob invincibilem ignorantiam, non autem *probabilitates* aut *opiniones* juvare quenquam posse sive ad salutem sive ad charitatem. Siquidem probabilitas in moralibus neminem securum facit, ubi modus et via suppetit certo et evidenter (saltem morali certitudine) comperiendae veritatis quod ipsum demonstrari potest. Atqui modus talis indubitate suppetit (imprimis viro jam probabilibus imbuto :) verae ecclesiae comperiendae : alioqui visibilis illa non est. Hoc adversus eruditos adiaphoros, tolerantes, syncretistas et similes peremptorum esse puto. Vale mei memor, in sacrificiis. Romae, 6 Junii 1711.

Haec cursim dictabam aliorsum avocatus per vexatissimum quod invitus gero regendi Collegii hujus officium. Servus in Christo.

Io. Bapt. Ptolemaeus.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. vii Idus jan. anni MDCCCXCIII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis rector,
Gréard.

INDEX CAPITUM

Columbariis. — Ex typis PAULI BRODARD.

COULOMMIERS. — IMPRIMERIE PAUL BRODARD